cum tam à fronte, quàm ſupra caput ſuum cernat armatos. Quòd ſi anguſtæ ſint viæ, ſed tamen tutæ, melius eſt præcedere cum ſecuribus, ac dolabris milites, & cum labore vias aperire, quàm in optimo itinere periculum ſuſtinere.

Prætereà noſſe debemus hoſtium conſuetudinem, utrum de noćte, an incipiente die, an hora reficiendi, laſſis ſupervenire conſueverint, & devitare, quod illos putamus ex more.

Jam verò, utrum peditibus, ac equitibus, utrum contatis, an ſagittariis ampliùs valeant, utrum numero hominum, an armorum munitione præcellant, ſcire nos convenit, & ordinare quod nobis utile, illis doceatur adverſum.

Traćtare quoque, per diem, an per noćtem iter expediat inchoari, quanta locorum intervalla ſint, ad quæ cupimus pervenire, ne æſtate, aquæ penuria obſit euntibus, ne hyeme difficiles, aut inviæ occurrant paludes, majoreſque torrentes, & impedito itinere circumveniatur exercitus, priuſquam ad deſtinata perveniat.

Ut enim noſtra commoditas eſt, ſapienter iſta vitare, ita ſi adverſariorum imperitia, vel diſſimulatio occaſionem nobis dederit, non oportet omitti; ſed explorare ſollicitè, proditores ac transfugas invitare, ut quid hoſtis moliatur in præſenti, vel in futurum, poſſimus agnoſcere, paratiſque equitibus, ac levi armatura, ambulantes eoſdem, vel pabula vićtumque quærentes, improvisò terrere, decipere.

QUÆ MILITI IN ITINERE SERVANDA,

Si Cum Exercitu Procedat.

Addatur ſuperioribus, quod Imperatori exercitus ſervandum præſcripſit *Leo Imperator*, ſi quando cum copiis iter agendum, ſive id in propria, ſive aliena, imò & hoſtili ditione faciendum erit. Ita autem orditur: Ubi in veſtra ipſorum ditione cum exercitu iter fit, militibus percipiendum eſt, ut neque prædentur, neque populentur terram. Multitudo enim militum, ſi quando licentiam habeat, ſolutè in omnia irruit; objećta enim ante oculos præda, ad cupiditatem ineſcatur. Ex quo fit, ut veſtri ſæpè vobis inimici atque adverſarii ſint.

2. Ne tardes in veſtra cum exercitu ditione commorando, cum jam in hoſtilem terram irruere decreveris; nam & proprias fruges abſumes, & amicos magis quàm inimicos lædes. Celeriter igitur copias traducito, id potiſſimùm ſi in frugiferam, & frućtuoſam hoſtium regionem irrupturus es.

3. Frequentem exercitum, niſi hoſtes immineant, in unum locum ne cogas; otioſi enim milites ad ſeditiones, & perverſas cogitationes ſe adjungunt.

4. Sin uſus aliquis hoc requirat, vel adnomii, id eſt, nominum deſcribendorum cauſa, vel alicujus alterius rei gratia, ut cogantur in unum milites, quanta maxima celeritate potes, copias vel divide, vel exerce, & in rebus bellicis occupatos tene, quemadmodum in capite de exercendis militibus præſcripſimus. Otium enim & deſidia, inſolitas atque intemperantes ferè cogitationes pariunt.

5. Si bellum expećtes, in acie exercitus inſtrućtus prodeat, ſive per drungos, id eſt cohortes milliarias, ſive per turmas, ſive per integras acies iter faciat. Nam in acie eſſe milites non ſolùm in hoſtili terra, ſed etiam in ſua, perutile eſt, & tutiores eos, magiſque exercitatos reddit.

6 Unumquemque drungum, ſeu cohortem milliariam aſſuefacito, ut illorum impedimenta, à tergo eam ſequantur, cum privatis, & ſuis inſignibus, neque aliena admiſceantur. Quando enim in noſtra regione hoſtes neque adſunt neque expećtantur, vel drungatim, vel turmatim ambulent, nec in unum locum conducantur, ut ne fame premantur, neque facilè ab hoſtium ſpeculatoribus numerentur, & paſtum jumentorum omnes exedant.

7. Propinquis jam hoſtibus, ante ſex vel ſeptem, aut etiam decem dierum pugnam, cumque propè caſtra ponuntur, ſi in ignota loca iter faciendum ſit, neque indigenæ dućtores adfuerint, metatores ſive menſuratores præmittes, ut loca anticipent, ſi nullus hoſtium timor impendeat, qui caſtrorum ambitum ante unum diem dimetiantur, in quo caſtra ponentur, & certam quandam menſuram cum proportione juſta unicuique turmæ tribuant.

8. Idem faciunt & anticenſores: horum etiam officium eſt, aquarum paſtionumque vim & copiam advertere.

9. Si per aſpera admodùm loca iter futurum eſt, aut præcipitia, aut per avia, & condenſa loca, aliquot ex exercitu præpara, & præmitte, qui quoad fieri poteſt planam, & direćtam viam efficiant, ut ne equi affligantur. Hi qui ad hoc negotium adićti ſunt, neque ſpeculationibus, neque ullis aliis muneribus faciendis inſerviant.

10. Prodeunte exercitu, primus anteeas tu univerſi exercitus Imperator, & anteeas honoris tui cauſa, propter multorum timorem, cum univerſa expeditione tua, & cohortibus tuis: extrema autem omnium impedimenta tua eant.

11. Ad hunc modum unuſquiſque tum turmarcha, tum drungarius, id eſt, tribunus minor prodeat, hanc aciem ſervans, ſive conjunćtè omnes ambulent, ſive ſeorſim. In fluviorum tranſitionibus, aut aliorum ignotorum locorum, anteceſſores præmitte, qui priùs loca explorent, eaque, qualia ſint nuncient, ut quibuſdam idoneis Præfećtis ſtatim præmiſſis, diligenter aſſerves tranſitum.

12. Sin admodùm lubrica difficiliaque loca fuerint, teipſum oportet primum eò tranſire, deinde ibi conſiſtere, & commorari, donec omnes ſine offenſione tranſierint.

13. Hoc enim virum nobiliſſimum, & clariſſimum patrem noſtrum regem Baſilium feciſſe cognovimus, quando contra Germanitiam Syriæ civitatem copias duxerat, & Paradiſum fluvium anticiparat, qui lampadibus in medio conſtitutis, ipſe ſua ipſius præſentia atque ope, univerſum exercitum facilè, & ſine offenſione traduxit, qui ſæpè manum illis afflićtis porrexerat, & quoſdam ex periculis eripuit.

14. Hæc, ſi hoſtes non immineant, Imperator facies: ſin propè fuerint, tu in propria ſtatione permaneas. Unuſquiſque autem præfećtus ſuæ ipſius cohortis, aut turmæ curam ſuſcipiet, donec omnes qui ſub imperio ejus fuerint, tranſeant, ut ne alius alium antevertendo, ſe mutuò perturbent, atque affligant, tum enim fortaſſis aliqua incommoda orirentur.

15. Quando autem per regionem aliquam tranſieris, quæ ſub ditione noſtra eſt, parcas & faveas agris cultis, idemque militibus præcipe, ſive loca culta, & vitibus conſita, ſive horti fuerint, ne per medium horum locorum tranſeant, ut ex legibus præſcriptiſque noſtris municipes atque agricolæ illæſi conſerventur.

16. Si fieri poteſt, ut per inculta loca eas, illuc longo intervallo tranſi. Sin neceſſitas ipſa urgeat, ut per hæc eas, uniuſcujuſque turmæ præfećtis præcipies, ut ibi conſiſtant, & cautionem diligentem adhibeant, donec omnes milites, qui ſub illorum poteſtate ſunt, tranſierint, & præfećto tum proximo loca hæc illæſa tradant, ſicque diſcedant.

17. Similiter etiam proximus illi faciet, & unuſquiſque etiam præfećtus ordine ſuo: ſic & ordinis conſervatio tum tua, tum præfećtorum, tum militum adhibebitur, & agricolæ frućtus illæſus erit.

18. Quando imminere labor belli, vel difficilis, & in omnes partes circumſpiciendus tranſitus eſſe videtur, ſi feræ aut manſuetæ beſtiæ occurrerint, aut in conſpećtu illorum prodierint, venatione & inſećtatione illarum milites tuos prohibebis; magna enim turba, magnuſque clamor ex eo eſſet, & equi illorum ſine ulla neceſſitate affligerentur.

19. Quando pacis tempus, & nulla belli expećtatio eſt, tunc venatio admodùm utilis militibus eſt.

20. Si parvum exercitum contra hoſtes duxeris, per habitata loca ne ducas, neque in tua neque in hoſtium regione, ne fortè ſpeculatores facilè advertant, & hoſtibus nuncient: ſed per alia quædam loca incognita eos ducas, idque in tua ipſius ditione facies, ſi quando exercitum ducis.

21. Quando per hoſtilem terram iter facit exercitus tuus, incende, vaſta, populare terram illorum; nam pecuniarum egeſtas frugumque inopia hoſtes imbecilliores, bellumque infirmius facit, quemadmodum contrà iſtarum rerum affluentia, illorum vim incitat contra nos, atque adauget.

22. Si longo tempore in hoſtili terra commoratus es, tot taliaque vaſtato, quot qualiumque tu non egebis. Ad exercitus tui ſumptus, quod neceſſarium erit, ſervabis.

23. Quando omnes copias coegeris ſimul, neque in noſtra ditione, neque in ulla regione ſub imperium noſtrum ſubjećta diu præſtolare; nam & noſtras fruges vaſtabis, & amicos magis, quàm inimicos lædes. Celeriter autem, ſi aliquod periculum impendeat, à noſtra ditione ad hoſtilem terram traducito; nam ſi fuerit optima, fertilis ac locuples, ubertatem commeatus, & cæterarum rerum affluentiam habebis; ſin ejuſmodi non fuerit, tuam tamen integram conſervabis, & multa in hoſtili terra, quanquam admodùm frućtuoſa non ſit, ad alendum tamen exercitum idonea invenies.

24. Ubi in hoſtili terra fueris, haud permittes milites tuos ad omnem prædam inordinatè excurrere: ſæpè enim ab hoſtibus circumventi, magnas & graves clades accipient.

25. In tua ipſius terra cùm exercitu proficiſcens, cogitabis de annona, & mercimoniis, tum terra, tum mari, ut ad vos ſine incommodo perveniant; tum enim copiosè, & affluenter ea omnia, quorum in exercitu aliquis uſus eſt, ad vos aſportabunt.

26. Quando per anguſtias aliquas, aut per arduos avioſque montes profećturus es, præmitte ex tuis qui juga montium, & loca ibi editiſſima occupent, & qui aditus anguſtos, & minùs patentes, quas clauſuras nominant, anticipent: ne hoſtibus prævertentibus, & in ipſis anguſtiarum faucibus, & montium faſtigiis conſidentibus, vel iter omninò impediatur, vel ſine magna offenſione confici non poſſit.

27. Hoc idem etiam tu provide, ſi quando hoſtilem incurſionem in tuam regionem futuram formidas; aliqua enim militum manu ad anguſtias occupandas miſſa, illos aditu prohibebis, & permulta incommoda illis afferes.

28. Si longum aliquod iter, & multorum dierum viam, tum in tua, tum in hoſtili regione confećturus es, primùm aſſuefacito milites, ut in regione tua dum ſint, ordinem ſuum in manipulis, quæ contubernia quoque vocantur, & ſtationem teneant, antegredientes ſequantur, ut hoſtilem in terram cum venerint, & nec opinatis de improviſo incurſionibus appetiti ſint, minùs tumultuentur, & alii ad alios confusè accurrentes, ſibi ipſis nullo præſidio ſint, ſed ab hoſtibus multa mala, tum propter ſui perturbationem, tum propter hoſtium impetum, accipiant. Conſueta enim hac ordinis conſervatione, tum ad res omnes ſuſcipiendas erunt idonei, tum ad bellum ipſum parati, præſertim ſi ſignum aliquod habeant, & aſpećtu ipſi ſe inter ſe agnoſcant.

29. Per anguſtias tales quàm minimè potes ducito exercitum, ſed per ſpatioſa loca, in quibus non prementur anguſtiis locorum implicati, ſed ubi à latere produci in longitudinem poſſunt; facilè enim inſidiis circumveniri, & hoſtium ſubito interventu opprimi poſſunt, qui ita locis incluſi ſunt, ut ad aliquid præclarum ſuſcipiendum impediantur.

30. Si enim ex adverſo hoſtes veniant latiùs inſtrućtis copiis, facilè fundentur & diſſipabuntur tui, quemadmodum cùm in bello hoſtibus circumcluſi eſtis.

31. Sin à latere per medias copias hoſtes incurrant, facilè diſtrahuntur & ſeparantur copiæ. Quòd ſi ad phalangem redire voluerint, & utrinque quaſi aciem inſtruere, infirmum tum prælium erit, quia confeſtim hoc ab illis fieri non poteſt.

32. Sin à tergo invadant, æquè præſens periculum eſt, ac fuiſſet, ſi eos, qui in fronte ſunt, invaſiſſent.

33. Quòd ſi aliquod ſubſidium eſſe contingat, inutile tamen illud atque inefficax erit. Nam cum qui à tergo ſunt opem ferre iis ſtudent, qui in fronte collocantur; aut contra qui in fronte ſunt, iis qui à tergo ſunt, ſuccurrere volunt, tarda tamen & ſera progreſſio hæc ſolet eſſe, ac plerumque inutilis.

34. Exercitus contraćtus & quadratus, aut non ita multùm oblongus, ad omnem occaſionem atque eventum firmus, utilis atque tutus eſt.

35. Sæpè enim non contraćtis, ſed diſſipatis copiis, qui primi è montoſis locis in campeſtres deſcendunt, animo hæſitant ac perturbantur, atque eos quos à tergo vident, hoſtes eſſe putant, ut ad confligendum cum ſuis quaſi cum hoſtibus ſe præparent, atque etiam ad manus conſerendas & bellum inferendum penè veniant.

36. Impedimenta univerſa, operas, ſarcinas, atque omnem apparatum, in mediis copiis collocato.

37. Si à tergo aliquam hoſtium incurſionem, vel videas, vel metuas, eos qui à tergo ſunt, æquè firmos & paratos facito, atque eos, qui in fronte collocati antegrediuntur, atque ad ea quæ uſu venire poſſunt, æquè inſtrućtos.

38. Præmittes etiam ad loca exploranda equites quoſdam, præſertim ſi ſylvoſa ſint, aut collibus, aut montibus incluſa, per quæ tranſeundum eſt. Sæpè enim hoſtium latentes inſidiæ, ſummam rerum labefaćtant & dejiciunt.

39. Nam campeſtribus & planis locis, oculis omnia luſtrare poſſunt. Et pulvis magnus interdiu excitatus, aut ignes & faces noćtu accenſæ, hoſtium ſæpè adventum produnt.

40. Si ad pugnam milites tuos producere volueris, duc eos interdiu ſolùm: ſin celeriter contendere, & hoſtium expećtationem antevertere cupias, noćtu quoque eos ducas, ſi id fieri tutò poſſe videbitur.

41. Ante belli tempus remiſsè, ac pedetentim incedito: ubi hoſtes in conſpećtum propè venerint, cùm celeritate quadam inſtrućtis copiis in illos irruito: longa enim ſæpè ante pugnam de bello cogitatio, fortium virorum animos langueſcere facit, & animi ſolicitudo vires corporis plerumque abſumit.

42. Anguſtas & difficiles in hoſtium regionibus vias, ſi longæ admodum fuerint, tamen pedites facilè tranſire ſine moleſtia poſſunt; de qua re paulò pòſt loquemur.

43. Equites in hoſtili regione, meſſis potiſſimùm tempore, incircumſpećtè temerèque vagari latiùs, niſi id neceſſitas requirat, minimè permittimus. Quòd ſi locus aliquis fuerit, ad ùnius milliaris longitudinem, in quo pedites ire poſſunt, deſcendant tum equites, & liberè pedibus eant.

44. Anguſta & difficilia loca ea nomino, quæ unam tantùm viam & tranſitum habent. Sin plures ſint, aut fieri poterunt, tranſitus ſatis bonus eſſe putandus eſt.

45. Si opportunè difficilia quædam atque anguſta loca tranſiiſti, per quæ tibi iterùm redeundum eſt, ſi condenſa & ſylvoſa fuerint, & non immenſæ alicujus longitudinis, primò tranſitus tui, quoad ejus fieri poteſt, cæde, purga, dilata locum; ſin arduus præcepſque locus fuerit, quique latior reddi non poteſt, præmitte aliquos, quemadmodum ante dićtum eſt, ex peditibus, qui eum locum occupent, homines ſatis multos atque idoneos, aut ſi uſus ferat, equites qui ad reditum tuum ea loca reſervent & cuſtodiant. Vel ſi quando neceſſitas exigit, utrùmque facias, id eſt cæde, purga, & ſubſidia ibi idonea relinquito.

46. Qui iter per anguſta loca cum tuldo, ideſt, impedimentis, vel aliqua cum præda faciunt, in duas partes, ſive acies ſe dividant, & in alterum cornu acuminata dedućtione procedant. Acuminata autem dedućtio, id eſt, ὄρθια, παραγώγη dicitur, cùm in fronte exilis parvaque multitudo ſit, dein latiùs ſe ad extremum agmen fundat, atque ibi latiſſimè pateat. Hoc autem faciunt maximè, cùm præda in manibus illorum eſt. Si pedites fuerint, faciliùs illis iter tranſituſque expeditior per ea loca erit. Sin equites, ex equis deſcendant, & medium tuldum, id eſt, impedimenta, reliquumque apparatum in medio habeant.

47. Talibus in temporibus, & locis, diphalangia, id eſt duplicata acie, ex juſto hominum numero, tum ante, tum retro quaſi ancipitis gladii acie inſtrućta, ſi qui ſuperſint, ii ad tuldum, ſive impedimenta, & ad prædam, ſi quam habent, conſervandam deligantur, iique multi & boni aplićti, id eſt, rerum caſtrenſium cuſtodes, quatuor in partibus duplicatæ aciei, quemadmodum locus poſtulat, collocentur, & ſequantur ea, ut repellant atque abigant eos, qui ad auferenda, aut diſturbanda impedimenta invadunt, ut integra minimèque perturbata ad cuſtodiam prædæ atque impedimentorum collocata acies conſervetur, neque ab incurſoribus iſtis perfringatur: fieri enim non poteſt, ut qui in diphalangia, id eſt duplicata acie inſtrućti ſunt, ſimul ordine conſervato, impedimenta & prædam cuſtodiant, & cùm hoſtibus dimicent. Quocirca quatuor in partibus collocare oportet homines, præter hanc diphalangiam, & à tergo potiſſimùm, qui fortiſſimi ſunt; ſic enim facilè aſpera quævis atque avia loca tranſiri poſſunt.

48. Equitum, ubi deſcenderint & pedibus ambulaverint, equos, ſi pedites alii propè non adfuerint, longè ab illis in medio quodam loco ſepara, ne ſi propè eſſent, & inopinatus quidam timor ſubitò impenderet, ad equos ibi ſtatim qui in acie jam ſunt, accurrerent; quæ res ſine magna certè offenſione fieri non poſſet.

49. Sin captivos aut prædam aliquam abigant, & hoſtes eos perſequantur, captivos, vinćtos, reliquamque prædam illigatam in unum, aut duas partes divides, & ante te hoſtibus objicies, qua incurſionem hoſtium fore putas, ut illis quaſi ſcuto, aut propugnaculo uſus, hoſtes jaculando abſtineant, aut ſi id facere nolint, tamen captivos, & prædam potiùs feriant quàm milites.

50. Si neceſſitate aliqua, aut improviſo aliquo caſu, vel anguſtiis incluſus, vel aliqua perturbatione implicitus fueris, unde teipſum ſine aliquo ingenti periculo expedire non poſſis, melius eſt communi conſenſione, vel partem prædæ, vel totam etiam prædam hoſtibus dimittere, & ſecurè ſine damno diſcedere, potiùs quàm prædæ cauſa in aliquod periculum venire.

51. Sin hoc modo tecum ad paćtionem venire noluerint,

tum captivos ipſos in hoſtium conſpectu trucidabis, atque adeò, vel in eo loco tibi permanendum, & regio undique populanda vaſtandaque eſt, vel ſaluti tuæ conſulendum, & acie inſtructa, de exitu, & evaſione cogitandum eſt.

51. Omninò hoc conſilium in primis tibi ſequendum eſt, ne exercitum aliquo admirabili atque inopinato labore in iis anguſtiis, quæ potiſſimum aliquem longitudine viæ habent, meſſis tempore propter ſylvæ denſitatem exerceas, ſi hoſtes tum te perturbent, niſi ſi fortè priùs vel illos repuleris, vel ſumma illius loci juga milites tui occupaverint.

52. In equeſtri itinere, & planis campeſtribuſque locis, antè, & poſt equites ad ſpeculandum conſtituendi ſunt, atque extra eos nullus peditum ſit.

54. Caſtra, id eſt, applicta propè illos ſint, ne longum ſpatium ſi diſceſſerint, pedites conſpiciantur.

55. Currus peditum ordine quodam procedant, ſivè poſt ſingulas turmas, ſivè poſt ſingula contubernia; poſt dextrum cornu primò, deinde poſt ſiniſtrum, tum poſt ſiniſtrum medium, & deinceps poſt dextrum medium, neque confuſi aut permiſti currus ambulent.

56. Si propè hoſtes fuerint, ſinguli armati arma geſtent, neque ea in curribus relinquant, ut ſint ad prælium parati: & in periculoſis temporibus omnes res ita inſtructæ ſint, ac ſi in ipſa acie eſſent, ut ſi nec confusè nec inordinatè prodeant, ubi acies inſtruenda ſit, in promptu atque in procinctu ſint.

57. Si multi hoſtium fuerint equites, & ii propè ad te accedant, nec propterea caſtra transferas, & novum iter ante bellum commiſſum ſuſcipias; ſed tres aut quatuor dies ante conflictationem ipſam, caſtra in eo loco pone, ubi pugnaturus es, & ibi tutò te ad illud tempus collocato.

58. Si incurſionem in hoſtilem terram cum peditatu facturus es, idque per condenſa atque anguſta loca, quamvis in eo loco pugna gravis futura ſit, neque magnum equitatum, neque multa impedimenta, neque multa arma tecum feras, ut loricas, id eſt, galeas, caſſides, clibania, id eſt, thoraces, ſed ſcuta ſcutati ſolùm habeant, & contraria, id eſt, haſtas longas & ſpathas & tzicuria. Leves autem habeant ſcuta parva, rhictaria, jacula, tzicuria parva, & ſi quid aliud tale leve atque expeditum eſt. Secures multas habere in ſagmariis, id eſt, ſarcinis, ad omnem uſum paratas oportet.

59. Pedeſtrem ſcutatorum aciem non directè ſolùm in fronte collocabis, quemadmodum in planis expoſitiſque locis, ſed in duas aut quatuor partes divides eos, id eſt, unumquodque contubernium ad duorum vel quatuor hominum altitudinem, pro ratione multitudinis tuæ, & pro uſu præſente: partes autem iſtæ diviſæ, & à ſe ſeparatæ, procedant ad unius lapidis jactum.

60. Sin equites & tuldum ſive impedimenta quoque ibi affuerint, impedimenta ſtatim poſt pedites locabis, deinde equites poſt impedimenta: è tergo equitum quidam ſcutati leves collocabuntur, ad extremas partes defendendas, adverſus omnes nec opinatas incurſiones.

61. Leves alios emittes ex acie uſque ad unius ſigni numerum, cum paucis equitibus: alios ad latera hinc atque illinc collocabis, ad pervidendum & explorandum, num aliquæ ibi inſidiæ ſint poſitæ, & ad arbores circumcirca tam idoneè cædendas, ut manibus, ſi quando tum uſus tulerit, in tranſitum hoſtium dejectæ, aditu in anguſtiis atque itinere illos prohibeant, & magnum negotium transgredi feſtinantibus faceſſant.

62. Ad hæc perluſtrare cum levibus & paucis equitibus, & hoſtium inſidias, ſi quæ in via collocatæ ſint, repellere, & tum aciem inſtructam illac deducere oportet.

63. Ubi rariora & laxiora loca fuerint, equites & ſpeculatores anticipent: ubi condenſa & aſpera, tum pedites ea occupent.

64. Leves non in frontem directè, quemadmodum ſcutatos, ſed per duos, aut tres, aut quatuor leves jaculatores cum ſcutis ſuis locabis, ut tempore hoc deſiderante, tum protegere ſcutis, tum jaculari etiam poſſint: unumque ſagittarium ſinguli hi minuti manipuli habeant, quibus cæteri benè conſervabuntur.

65. Tales drungos, id eſt, cohortes milliarias non una in acie, vel directè duces, ſed ordine altiùs atque altiùs incedent, ut tergora antegredientium ſequentes defendant. Quòd ſi contingat anterioribus, ut ab hoſtibus retardentur, & propter difficultatem loci admodùm vexentur, tum iſti à tergo de improviſo intervenientes, & altiore in loco quàm hoſtes ſunt poſiti, ſuis ſuccurrant. Neceſſe enim levibus ſemper eſt, ut adverſum inimicos altiora loca anticipent.

66. Levibus etiam præcipies, ut longiùs ab acie, quàm buccina exaudiri poteſt, ne diſcedant: auxilio enim deſtituti admodùm premerentur.

67. Quatuor partibus in fronte ad eundum collocatis, ſi locus tam anguſtus ſit, ut per eum ita tranſire nequeant, duas partes in diphalangiam conferes.

68. Sin ne duas quidem partes ſpatium loci capit, tum unam partem quaſi integram aciem ad cornu procedere faciant, reliquis levibus ita, uti ante dixi, collocatis.

69. Poſtquam anguſtias loci tranſierint, tum, quemadmodum ante fecerunt, in quatuor partes ad cornu, id eſt, anteriorem frontem procedant.

70. Si multitudo hoſtium adventaverit, vel ante, vel ad latus, in quam partem videris hoſtes ſe velle convertere, eam partem ad frontem, ad aciei initium deducito, hoc eſt, ſi ad lævam aciei appareant, hæc ſumma parte aciei in ipſa acie conſiſtet, moveant ſe reliquæ tres partes, & ſuis in locis ordinatè juxta hanc partem ſemper inſtruantur.

71. Sin ad dextram venerint, eædem reliquæ partes vultus ſuos vertentes conſiſtant.

72. Si ante medias partes, ſive unam, ſive duas, hoſtes venerint, vel in dextram partem declinantium, vel ad frontem venientium, & reliquæ tum duæ partes venientes ſimiliter inſtruantur, & acies in frontem obliquata fiet.

73. Si magnitudo loci permittat, pedites ſic hoſtes ſuos invadere, ut equites quoque hoſtes ſuos circumdare poſſint, rectè eſt: ſin minùs, hæc acies inſtructa denſataque eat.

74. Armatorum, ſive ſcutatorum contubernia, rara & alta facere oportet, ut abjectas arbores facilè tranſeant, & ſi opus fuerit, denſari poſſint.

75. Si locus eos non capiat, univerſa tum acies inſtructa conſiſtet, & leves quidam adverſus hoſtes procedent, & adjumento illis erunt ſcutati aliquot atque equites, qui proximè fuerint.

76. Præcipies autem, quando adventantibus, quemadmodum ferè fit, clamor fieri ſolet, ne tum miſceant ſe milites, & ad illam occurrant partem; ſed ſcutati ſuam teneant ſtationem, leves autem contra clamantem hoſtem excurrant. Neque tamen, qui in anteriore parte ſunt, ad latera decurrant, neque qui in lateribus ſunt, ad cornua contendant, ſine præfectorum imperio; ſed unumquodque latus ſuis, hoc clamoris tempore, ſi uſus ſic ferat, ſuccurrat, ut ſi premantur, ad ſcutatorum aciem ſe referant, ne ab hoſtibus lædantur.

77. Tuta igitur peditum, & idonea itinera eſſe poſſunt, ſi ut prædiximus, in condenſis aſperiſque locis ad cornu, id eſt, ad longitudinem quandam anguſtiorem inſtruantur, ſive quatuor partes, ſive duas ſolas loci amplitudo capiat: in laxioribus autem & magis ſpatioſis locis, & ad frontem acie in latum porrecta, & laxioribus latitudine contuberniis, altitudine denſioribus.

78. Illud pro certo teneas, in condenſis locis eos, qui rhictaria, ſive menaula, id eſt, jacula longiora manu conjiciunt, magis neceſſarios eſſe ſagittariis, ac funditoribus, atque ideò multi leves exercendi ad hæc; tela ſive jacula manu conjicienda ſunt.

79. Sagittarii in acie inſtructa præſtabiliores ſunt, & in aſperis, arduis, anguſtis, atque expoſitis in locis.

80. Jaculatores extra aciem inſtructam in condenſis locis utiliſſimi ſunt. Atque hæc itineribus faciendis diligenter obſervanda ſunt.

81. Priuſquam omnes caſtra poſuerint, aciem neque pedeſtrem neque equeſtrem diſſolvas, neque priuſquam foſſatum undique munitum ſit, & ſpeculatores exierint.

82. Præcipies autem, ut perfectè cognoſcant buccinæ ſonum, ut ubi conſiſtere eos jubet, conſiſtant, & ubi alia buccina procedere eos imperat, procedant. Ad hunc igitur modum de itinere exercitus faciendo diſputatum ſit. Reſtat, ut de tuldo, ſive impedimentis pauca diſſeramus.

1. Tuldi, ſive impedimentorum cura tibi ſuſcipienda eſt; neque enim temerè, ac fortuitò diſiicienda ſunt, ſed ubicunque relinquantur, in tuto ſunt collocanda.

2. Neque rurſum in bello incircumſpectè ducatur, perſæpè enim militum adminiſtri, perſæpè liberi atque cognati, quos

charos habent, cum tuldo ſunt. Quod niſi in tuto ſit, anxietate animorum ſæpè vexantur milites, & ſolicitudine in diverſas partes diſtrahuntur.

3. Unicuique enim prudenti viro, præter ſuum ipſius damnum, dolori eſt etiam inimici proſperitas. Itaque, cùm ſuum ipſius damnum oculis intuetur, vel omninò bello abſtinet, vel ad pugnandum languidior fit.

4. In primis autem congregato tuldo, & publico jam prælio imminente; multitudinem palicariorum, id eſt, eorum qui præfectis & militibus operam dant, eò deducere non conſulo, neque in ſua terra bello expectato, neque in aliena, ſed pauci ſint, iique quantum fieri poteſt firmiter muniti.

5. Totidem autem retineas, quot ad ſingula contubernia adminiſtranda, & jumenta gubernanda ſatis ſint. Id fiet, tum ad varietatem illorum cognoſcendam, tum ad acierum rationem percipiendam, ne jumenta perturbatè confuſa, ſumptus importunos, & perturbationes adferant.

6. Hos tempore prælii, ſi pedeſtris acies non adfuerit, ac reliquos, qui ad tuldi cuſtodiam conſtituuntur, cùm ea oportet relinquere, ſive in ſua, ſive in aliena terra bellum geratur: Tutiſſimum autem eſt hos in bello eſſe, quemadmodum poſtea dicemus, ubi de aplicto, id eſt, caſtris, verba faciemus.

7. Ipſa autem ſagmaria, id eſt, ſarcinas reliquoſque apparatus, quæ andeſtra vocant, cùm ipſo tuldo relinques.

8. In incurſionibus reliquiſque invaſionibus hæc teneant ſecum milites; & uſque ad diem ipſum belli committendi benè munita habeant, ac roborata.

9. Ipſo conflictationis tempore andeſtrum, id eſt, apparatum propè habere, minimè neceſſarium eſt, ſed in foſſato, ſive caſtris relinquatur. Perſæpè enim tumultu aliquo facto, animis concidunt, ſi pauca palicaria, id eſt, pauci ex adminiſtris capti fuerint.

10. Sin pedeſtris acies adfuerit, ſive in regione tua, ſive in intercapedine inter tuam, & hoſtilem terram, ubi bellum ſine ulla dilatione, aut intermiſſione futurum eſt; ad aliquem firmum locum, ubi & paſtiones & aquæ futuræ ſunt, triginta, aut quinquaginta millibus ab eo loco, inutile tuldum & ſuperfluum relinquito, & ſupervacanea jumenta reliquaque arma, quæ ipſo belli tempore utilia non erunt, omnia traduces.

11. Quoſdam in medio intervallo tuldi & prælii collocabis, homines notos omnibus, neque obſcuros, neque ſceleratos, eoſque in media via inſtrues. Illos præfecto tuldi (ſemper enim peculiarem aliquem præfectum habere debent) oſtendes, qui ſint, ut in belli exitu ſignificare illi poſſint, utrumne manendum in illo loco, an ad aliquem munitiorem locum procedendum, an potiùs ad exercitum commigrandum illis ſit.

12. Proficiſcentes ad prælium à tuldo ſagmaria auferant, & ſagmam duplicem, aut duplicem tentam, id eſt, duplex tentorium, alterum quidem pro integumento, ſi uſus ferat, alterum pro tenta, ſive carmada habeant.

13. Commeatus paxamadii, ſive biſcocti, aut alterius cujuſquam expeditæ rei, habeas viginti, aut triginta libras, & tum caſtra ponas quocumque volueris loco & foſſato, quando ad præliandum cum hoſtibus contendunt.

14. Foſſatum, vel lapidum, vel laterum aggere, etiam munias, quanquam ad unum ſolum diem ibi commoraturus es.

15. Unumquodque bandum, id eſt, cohors, fœnum aut paleas unius diei ſecum circumferant, ut ſi, quòd uſu venire poteſt, aliqua offenſio belli contingat, ſi vel redeat exercitus ab eo loco, vel ibi permaneat, habeat tamen jumentis ſuis unius diei pabulum, neque in tanto belli ardore, vel ad paſtionem ire, vel fœnum ſecare, quibus rebus lædi ab hoſtibus poſſent, vel vagari, & circumcurſare ad pabulum comparandum, hoſtibus jam imminentibus, vel diſcedere jam, in tanta hominum jumentorumque fame, & miſeria, atque adeò interire cogantur.

16. Si diſcedat exercitus tuus, nulliuſque rei indigeat, exures fœnum, omneſque fruges agrorum, & ſic proficiſceris, propter hoſtes, qui poſt te venturi timentur.

17. In omni itinere, hoſtibus imminentibus, in medio exercitus tui tuldum habeas, ne ſi aliqui rejiciuntur, ab hoſtibus invadantur.

18. In itinere, quemadmodum ſupra præſcripſimus, non confusè milites, & permiſtè cum tuldo ambulent, ſed diſtinctè & ſeparatim, ut poſt turmam ſuam tuldum, cùm viris ad id conſtitutis, quos cuplictos nominant, ſeorſim procedat.

19. Habeat autem tuldum, quemadmodum ante memoravimus, ſeparatum aliquem præfectum, qui univerſum illud gubernet, & dirigat in omnes partes, ante univerſum exercitum, ſi ex hoſtili terra diſcedis, poſt univerſas copias, ſi hoſtilem regionem invadis, hinc aut illinc, ſi alicui è lateribus times, in medio, ſi omnia tibi æquè ſuſpecta ſint. Atque hæc de tuldo, ſive impedimentis, paucis tibi explicavimus, ſive in curribus inter pedites, ſive in ſarcinis inter equites, ſive aliqua quapiam præparatione in permiſta turba, ut nulla ex parte, quoàd ejus fieri potuit, aliquid abeſſet, *capite decimo rei tacticæ*.

Idem argumentum etiam pertractat *Vegetius*, in hunc modum ſcribens:

Qui rem militarem ſtudioſiùs didicerunt, aſſerunt plura in itineribus, quàm in ipſa acie pericula ſolere contingere. Nam in conflictu armati ſunt omnes, & hoſtem cominùs vident, & ad pugnandum animo veniunt præparati. In itinere minùs armatus minùſque attentus eſt miles, & ſuperveniente impetu, vel fraude, repentè turbatur. Ideòque omni cura, omnique diligentia providere debet dux, ne proficiſcens patiatur incurſum, vel ſi non facilè, at ſine damno repellat illatum. Primùm itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, pleniſſimè debet habere perſcripta, ita ut locorum intervalla non ſolùm paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates perdiſcat, compendia, diverticula, montes, flumina, ad finem deſcripta conſideret, uſque eò, ut ſolertiores duces, itineraria provinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantùm adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur, ut non ſolùm conſilio mentis, verùm aſpectu oculorum viam profecturis eligerent. Ad hoc à prudentioribus & honoratis, locorumque gnaris, ſeparatim debet univerſa perquirere, & veritatem colligere de pluribus. Præterea ſub periculo eligendarum viarum, duces idoneos, ſcienteſque percipere, eoſque cuſtodiæ mancipare, addita pœnæ oſtentatione, vel præmii. Erunt enim utiles, cùm intelligent, nec fugiendi ſibi copiam ſupereſſe, & fidei præmium, perfidiæ parata ſupplicia. Providendum quoque, ut ſapientes exercitatique quærantur, ne duorum, aut trium error diſcrimen pariat univerſis. Interdum autem imperita ruſticitas plura promittit, & credit ſe ſcire, quæ neſcit. Sed cautelæ caput eſt, ut per quæ loca, vel quibus itineribus ſit profecturus exercitus, ignoretur: Tutiſſimum namque in expeditionibus creditur, facienda ab hoſtibus neſciri. Ob hoc veteres Minotauri ſignum in legionibus habuerunt, ut quemadmodum ille in intimo & ſecretiſſimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis conſilium ſemper occultum eſſet. Securum iter agitur, quod agendum hoſtes minimè ſuſpicantur. Verùm quia exploratores altrinſecùs miſſi, profectionem ſuſpicionibus, vel oculis deprehendunt, & interdum transfugæ proditoreſque non deſunt, quemadmodum occurri ingruentibus debeat, intimetur. Dux cum agmine exercitus profecturus, fideliſſimos, argutiſſimoſque cum equis probatiſſimis mittat, qui loca, per quæ iter faciendum eſt, in progreſſu, & à tergo, dextra, lævaque, perluſtrent, ne aliquas adverſarii moliantur inſidias. Tutiùs autem operantur exploratores, noctibus quàm diebus. Nam quodammodo ipſe ſui proditor invenitur, cujus ſpeculator fuerit ab adverſariis deprehenſus. Primi ergo equites iter arripiant, inde pedites; impedimenta, ſagittarii, calones, vehiculaque in medio collocentur, ita ut expedita pars peditum, & equitum ſubſequatur. Nam ambulantibus, interdum quidem à fronte, ſed frequentiùs à tergo ſuperventus infertur. A lateribus quoque pari armatorum manu impedimenta claudenda ſunt. Nam inſidiatores tranſverſos frequenter incurſant. Illud quoque præcipuè ſervandum eſt, ut ea pars, ad quam hoſtis venturus creditur oppoſitis lectiſſimis equitibus, & levi armatura, necnon etiam peditibus ſagittariis muniatur. Quòd ſi undique circumfunduntur inimici, undique debent præparata eſſe ſubſidia. Ne verò repentinus tumultus ampliùs noceat, ante commonendi ſunt milites, ut parati ſint animo, ut arma in manibus habeant, ne neceſſitate ſubita terreantur; prævisa enim non ſolent eſſe formidini. Antiqui diligentiſſimè præcavebant, ne à calonibus interdum vulneratis, interdum timentibus, & ſagittariis clamore pavefactis, pugnantes milites turbarentur, ne diſperſi longiùs, aut conglobati ampliùs, quàm expedit, impedirent ſuos, hoſtibuſque prodeſſent. Et ideò ad exemplum mi-

A litum, etiam impedimenta ſub quibuſdam ſignis ordinanda duxerunt. Denique ex ipſis calonibus (quos galearios vocant) idoneos ac peritos uſu legebant, quos non ampliùs, quàm ducentis ſagiſarciariis puerisque præficerent. Hiſque vexilla dabant, ut ſcirent, ad quæ ſigna deberent impedimenta colligere. Sed pugnatores ab impedimentis laxamento aliquo dividuntur, ne conſtipati lædantur in prælio, ambulante exercitu. Ut locorum varietas advenerit, ita defenſionis ratio varietur. Nam in campis patentibus equites magis ſolent impugnare, quàm pedites. At verò in locis ſilveſtribus, vel montuoſis, ſive paluſtribus, pedeſtres magis formidandæ ſunt copiæ. Illud quoque vitandum, ne per negligentiam aliis feſtinantibus, aliis tardiùs incedentibus, interrumpatur acies, aut certè tenuetur. Continuò enim hoſtes inter prolata pervadunt. Interponendi ergo ſunt exercitatiſſimi campi ductores, vicarii, vel tribuni, qui alacriores tardent, & pigriùs incedentes accelerare compellant. Nam qui multùm præceſſerint, ſuperventu facto, non tam redire, quàm effugere cupiunt. Qui verò extremi ſunt, deſerti à ſuis vi hoſtium ac propria deſperatione ſuperantur. Sciendum B etiam, quòd adverſarii in his locis, quæ ſibi opportuna intelligunt, ſubſeſſas occultiùs collocant, vel aperto Marte impetum faciunt. Sed ne ſecreta noceant, ducis præſtat induſtria, quem omnia priùs convenit explorare. Deprehenſa quoque ſubſeſſa, ſi circumveniatur utiliter, plus periculi ſuſtinet, quàm parabat inferre. Aperta autem vis ſi præparetur in montibus, altiora loca præmiſſis ſunt præſidiis occupanda, ut cum hoſtis advenerit, reperiatur inferior, nec audeat obviare, cùm tam à fronte, quàm ſupra caput ſuum cernat armatos. Quòd ſi anguſtæ ſint viæ, ſed tamen tutæ, melius eſt præcedere cum ſecuribus ac dolabris milites, & cùm labore vias aperire, quàm in optimo itinere periculum ſuſtinere. Prætereà noſſe debemus hoſtium conſuetudinem, utrùm nocte, an incipiente die, an hora reficiendi, laſſis ſupervenire conſueverint, & id vitare, quod illos facturos ex more putamus. Jam verò utrùm peditibus, an equitibus, utrùm contatis, an ſagittariis ampliùs valeant, utrùm numero hominum, an armorum munitione præcellant, ſcire nos convenit, & ordinare, quod nobis utile, illis docetur adverſum. Tractare quoque, per diem, an per noctem, iter expediat inchoare: quanta loco- C rum intervalla ſint, ad quæ cupimus pervenire, ne æſtate aquæ penuria obſit euntibus, ne hyeme difficiles, aut inviæ occurrant paludes, majoreſque torrentes, & impedito itinere circumveniatur exercitus, priuſquam ad deſtinata perveniat. Ut noſtra commoditas eſt, ſapienter iſta vitare, ita ſi adverſariorum imperitia, vel diſſimulatio occaſionem nobis dederit, non oportet dimitti, ſed explorare ſollicitè, proditores ac transfugas invitare, ut quid hoſtis moliatur in præſenti, vel in futurum, poſſimus agnoſcere, paratiſque equitibus, ac levi armatura, ambulantes eoſdem clam, vel pabula victumque quærentes, improviſo terrore decipere. *lib.3. de re militari cap.6.*

Exempla Historica.

Æmilius Paulus Coſ. cùm in Lucanos juxta littus anguſto itinere exercitum duceret, & Tarentini ei clam inſidiati, agmen ejus ſcorpionibus aggreſſi eſſent, captivis latera euntium prætexuit, quorum reſpectu hoſtes inhibuere tela.

D Agesilaus Lacedæmonius, cùm præda onuſtus ex Phrigia rediret, inſequerenturque hoſtes, & ad locorum opportunitatem laceſſerent agmen ejus, ordinem captivorum ab utroque latere exercitus ſui applicuit, quibus dum parcitur ab hoſte, ſpacium tranſeundi habuerunt Lacedæmonii. Idem tenentibus anguſtias Thebanis, per quas tranſire habebat, flexit iter, quaſi Thebas concederet: exterritis Thebanis, digreſſiſque ad tutanda mœnia, repetitum iter, quod deſtinaverat, emenſus eſt, nullo obſiſtente.

Nicostratus dux Ætolorum adverſus Epirotas, cùm ei aditus in fines eorum anguſti fierent, per alterum locum irrupturum ſe oſtendens, omni illa ad prohibendum occurrente Epirotarum multitudine, reliquit ſuos paucos, qui ſpeciem remanentis exercitus præberent, & ipſe cum cætera manu, qua non expectabatur aditus, intravit.

Autophraudates Oeries, cùm in Piſidiam exercitum duceret, & anguſtias quaſdam Piſidæ occuparent, ſimulata vexatione trajiciendi, inſtituit reducere: quod cum Piſide credidiſſent, ille noctu validiſſimam manum ad eundem locum occupandum præmiſit, ac poſtero die totum trajecit E exercitum.

Philippus Macedonum rex Græciam petens, cùm Thermopylas occupatas audiret, & ad eum legati Ætolorum veniſſent acturi de pace, retentis eis, ipſe magnis itineribus ad anguſtias pertendit, ſecuriſque cuſtodibus, & legatorum reditus expectantibus, inopinatus Thermopylas trajecit.

Iphricrates dux Athenienſium, adverſus Anaxibium Lacedæmoniorum in Helleſponto circa Abydon, cùm tranſducendum exercitum haberet per loca, quæ ſtationibus hoſtium tenebantur, alterum autem latus ejus tranſitus abſciſſi montes premerent, alterum mare ablueret; aliquandiu moratus, cùm incidiſſet frigidior ſolito dies, & ob hoc nemini ſuſpectus, delegit firmiſſimos quoſque, quibus oleo, ac mero calefactis, præcepit, ut ipſam oram maris legerent, abruptiora tranarent; atque ita cuſtodes anguſtiarum inopinatus oppreſſit à tergo.

Cn. Pompeius, cùm flumen tranſire propter oppoſitum exercitum hoſtium non poſſet, aſſiduè producere & reducere in caſtra inſtituit: deinde in eandem perſuaſionem hoſte perducto, ne ullam viam ad greſſum Romanorum teneret, repentè impetu facto tranſitum rapuit. F

Alexander Macedo, prohibente rege Indorum Poro traiici exercitum per flumen Hydaſpem; adverſus aquam aſſiduè procurrere juſſit ſuos, & ubi eo more exercitationis aſſecutus eſt, ut Poro adverſa ripa caveretur, per ſuperiorem partem ſubitò tranſmiſit exercitum. Idemque Indi fluminis trajectu prohibitus ab hoſte, diverſis locis in flumine equites inſtituit immittere, & tranſitum minari; cumque expectatione barbaros teneret intentos, inſulam paulò remotiorem, primùm exiguo, deinde majore præſidio occupavit, atque inde in ulteriorem ripam tranſmiſit. Ad quam manum opprimendam cùm univerſi ſe hoſtes effudiſſent, ipſe libero vado tranſgreſſus, omnes copias conjunxit.

Xenophon, ulteriorem ripam Armeniis tenentibus, duos juſſit quæri aditus; & cùm à citeriore repulſus eſſet, tranſiit ad ſuperiorem. Inde quoque prohibitus hoſtium occurſu, repetiit vadum inferius, juſſa ibidem militum parte ſubſiſtere; ex qua cum Armenii ad inferioris vadi tutelam rediiſſent, per G ſuperius tranſgrederetur. Armenii credentes decurſuros omnes, decepti ſunt à remanentibus. Hi cum reſiſtente nullo vadum ſuperaſſent, tranſeuntium ſuorum fuere propugnatores.

P. Claudius Coſ. primo bello Punico, cùm à Rhegio Meſſanam trajicere militem nequiret, cuſtodientibus fretum Pœnis, ſparſit rumorem, quaſi bellum injuſſu populi incœptum gerere non poſſet, claſſemque Italiam verſus ſe agere ſimulavit: digreſſus deinde Pœnis, qui profectioni ejus habuerant fidem, circumactas naves appulit Siciliæ.

Lacedæmoniorum duces, cùm Syracuſas navigare deſtinaſſent, & Pœnorum diſpoſitam penitùs claſſem timerent, decem Punicas naves, quas captivas habebant, veluti victrices, primas juſſerunt agi à latere junctis, ac puppe religatis: qua ſpecie deceptis Pœnis, tranſierunt.

Philippus, cùm anguſtias maris, quæ Cyaneæ appellantur tranſnavigare propter Athen. claſſem, quæ opportunitatem loci cuſtodiebat, non poſſet, ſcripſit Antipatro, Thraciam rebellare, præſidiis, quæ ibi reliquerat, interceptis, ut ſequeretur, omiſſis omnibus: quæ epiſtolæ ut intercipere- H rentur ab hoſte, curavit. Athenienſes arcana Macedonum excepiſſe viſi, claſſem abduxerunt. Philippus nullo prohibente anguſtias freti liberavit. Idem quia Cherroneſum, quæ juris Athen. erat, occupare prohiberetur, tenentibus tranſitum non Bizantiorum tantùm, ſed Rhodiorum quoque, & Chiorum navibus, conciliavit animos eorum, reddendo naves, quas ceperat, quaſi ſequeſtres futuros ordinandæ pacis inter ſe atque Byzantios, qui cauſa belli erant; tractaque per magnum tempus poſtulatione, cùm de induſtria ſubinde aliquid in conditionibus retexeret, claſſem per id tempus præparavit, eaque anguſtias freti imparato hoſte ſubitò evaſit.

Chabrias Athenienſis, cùm adire portum Samiorum, obſtante navali hoſtium præſidio, non poſſet, paucas è ſuis navibus præter portum miſſas, juſſit tranſire, arbitratus, qui in ſtatione erant, perſecuturos: hiſque per hoc conſilium evocatis, nullo obſtante, portum cùm reliqua adeptus eſt claſſe. *lib.1. Stratag. cap.4.*

Quintus Sertorius in Hiſpania, cùm à tergo inſtante hoſte

A ſte flumen trajicere haberet, vallum in ripa ejus in modum cavæ lunæ duxit, & oneratum materiis incendit; atque ita excluſis hoſtibus, fluvium liberè tranſgreſſus eſt.

Similiter Pelopidas Thebanus bello Theſſalico tranſitum quæſivit, namque caſtris ampliorem locum ſupra ripam amplexus, vallum cervolis, & alio materiæ genere conſtructum incendit; dumque ignibus ſubmoverentur hoſtes, ipſe fluvium ſuperavit.

Q. Luctatius Catulus, cùm à Cymbris pulſus unam ſpem ſalutis haberet, ſi flumen liberaſſet, cujus ripam hoſtes tenebant, in proximo monte copias oſtendit, tanquam ibi caſtra poſiturus, ac præcepit ſuis, ne ſarcinas ſolverent, aut onera deponerent, ne quis ab ordinibus, aut ſignis diſcederet, & quò magis perſuaſionem hoſtium confirmaret, pauca tabernacula in conſpectu erigi juſſit, igneſque fieri, & quoſdam vallum ſtruere, quoſdam in lignationem, ut conſpicerentur exire: quod Cymbri verè agi exiſtimantes, & ipſi caſtris delegerunt locum, diſperſique in proximos agros ad comparanda ea, quæ neceſſaria ſunt manſuris, occaſionem dederunt Catulo non ſolùm flu- B men trajiciendi, ſed etiam caſtra eorum infeſtandi.

Croesus, cùm Halim vado tranſire non poſſet, neque navim aut pontis faciendi copiam haberet, foſſa ſuperiori parte poſt caſtra deducta, alveum fluminis à tergo exercitus reddidit.

Cn. Pompejus, Brunduſii, cum excedere Italia & transferre bellum propoſuiſſet, inſtante à tergo Cæſare, conſcenſurus claſſem, quaſdam obſtruxit vias, alias parietibus interſepſit, alias intercidit foſſis, eaſque fudibus erectis præcluſas operuit cratibus, humo aggeſta, quoſdam aditus, qui ad portum ferebant, trabibus tranſmiſſis, & in denſum ordinem ſtructis, ingenti mole tutatus. Quibus perpetratis, ad ſpeciem retinendæ urbis raros pro mœnibus ſagittarios reliquit, cæteras copias ſine tumultu ad naves reduxit: navigantem eum mox ſagittarii quoque per itinera nota digreſſi, parvis navigiis conſecuti ſunt.

Cn. Duillus Coſ. in portu Syracuſano, quem temerè intraverat, objecta ad ingreſſum catena clauſus, univerſos in puppim retulit milites, atque ita reſupina navigia magna remi- C gantium vi concitavit: levatæ proræ ſuper catenam proceſſerunt, qua parte ſuperata, tranſgreſſi rurſus milites proras preſſerunt, in quas verſum pondus decurſum ſuper catenam dedit navibus.

Lysander Lacedæmonius, cum in portu Athenienſium cum tota claſſe obſideretur, obrutus hoſtium navibus, ab ea parte qua faucibus anguſtiſſimis influit mare, milites ſuos clam in litus egredi juſſit, & ſubjectis rotis, ad proximum naves portum Monœcium trajecit.

Herculejus legatus Sertorii, cum in Hiſpania inter duos montes abruptos longum & anguſtum iter ingreſſus, paucas duceret cohortes, comperiſſetque ingentem manum hoſtium advenire, foſſam tranſverſam inter montes preſſit, vallumque materia extructum incendit, atque ita intercluſo hoſte evaſit.

C. Cæsar bello civili cum adverſus Afranium copias educeret, & recipiendi ſe ſine periculo facultatem non haberet, ſicut conſtituerat, prima & ſecunda acie furtim à tergo ad opus applicata, quindecim pedum foſſam fecit, intra quam ſub occaſum Solis armati ſe milites ejus rece- D perunt.

Pericles Athenienſis, à Peloponnenſibus in eum locum compulſus, qui undique abruptis cinctus, duos tantùm exitus habebat, ab altera parte foſſam ingentis latitudinis duxit, velut hoſtis excludendi cauſa, ab altera militem agere cœpit, tanquam per eum erupturus. Ii qui obſidebant, cùm per foſſam, quam ipſe fecerat, exercitum Periclis non crederent evaſurum, univerſi à milite obſtiterunt. Pericles pontibus, quos præparaverat, foſſæ injectis, ſuos, qua non reſiſtebatur, emiſit.

Lysimachus, ex his unus, in quos opes Alexandri tranſierunt, cùm editum collem caſtris deſtinaſſet, imprudentia autem ſuorum in inferiorem deductus, vereretur ex ſuperiore hoſtium incurſum, triplices foſſas intra vallum abjecit, deinde ſimilibus foſſis circa omnia tentoria ductis, tota caſtra confodit, & intercepto hoſtium aditu, ſimul humo quoque, & frondibus, quas foſſis ſuperjecerat, facto impetu in ſuperiora evaſit.

Cn. Fontejus Craſſus in Hiſpania, cùm tribus millibus hominum prædatum provectus, locoque iniquo circumventus ab Haſdrubale, ad primos tantùm ordines relato conſilio, incipiente nocte, quo tempore minimè expectabatur, per ſtationes hoſtium prorupit. E

L. Furius, exercitu perducto in locum iniquum, cùm conſtituiſſet occultare ſollicitudinem ſuam, ne reliqui trepidarent, paulatim inflexit iter, tanquam circuitu majore hoſtem aggreſſurus, converſoque agmine, ignarum rei quæ agebatur, exercitum incolumem reduxit.

P. Decius Tr. bello Samnitico, Cornelio Coſſo coſ. iniquis locis deprehenſo ab hoſtibus, ſuaſit, ut ad occupandum collem, qui erat in propinquo, modicam manum mitteret, ſeque ducem iis, qui mittebantur, obtulit: evocatus in diverſa hoſtis dimiſit conſulem, Decium autem cinxit, obſeditque. Illas quoque anguſtias, noctu eruptione facta, cùm luctatus eſſet, Decius incolumis cùm militibus conſuli acceſſit.

Idem fecit ſub Attilio Calatino coſ. is, cujus variè traditur nomen. Alii, Laberium, nonnulli Q. Cæditium, plurimi Calpurnium Flammam vocitatum ſcripſerunt. Hic cum dimiſſum exercitum in eam vallem videret, cujus latera omnia ſuperiora hoſtis inſederat, depopoſcit, & accepit tre- F centos milites, quos adhortatus, ut virtute ſua exercitum ſervarent, in mediam vallem decurrit, & ad opprimendos eos undique deſcendit hoſtis, longoque & aſpero prælio retentus, occaſionem conſuli ad extrahendum exercitum dedit.

L. Minutius coſ. in Liguria dimiſſo in anguſtias exercitu, cùm jam omnibus adverſaretur Caudinæ cladis exemplum, Numidas auxiliares, tam propter ipſorum, quàm propter equorum deformitatem deſpiciendos, juſſit adequitare faucibus quæ tenebantur. Primò intenti hoſtes, ne laceſcerentur, ſtationem objecerunt: de induſtria Numidæ ad augendum ſui contemptum, labi equis, & per ludibrium ſpectaculo eſſe affectaverunt: ad novitatem rei laxatis ordinibus barbari in ſpectaculum uſque reſoluti ſunt. Quod ubi animadvertunt Numidæ, paulatim ſuccedentes, additis calcaribus, per intermiſſas hoſtium ſtationes eruperunt: qui deinde cum proximos irruerent agros, neceſſe Lyguribus fuit evocari ad defendenda ſua, incluſoſque Romanos emittere.

L. Sylla bello ſociali apud Eſerniam inter anguſtias de- G prehenſus, ad exercitum hoſtium, cui Duillius præerat, colloquio petito, de conditionibus pacis agitabat ſine effectu: hoſtem tamen propter inducias negligentia reſolutum animadvertens, nocte profectus, relicto buccinatore, qui vigilias ad fidem remanentium divideret, & quarta vigilia commiſſa eum ſequeretur, incolumes ſuos cùm omnibus impedimentis tormentiſque in tuta perduxit.

Idem adverſus Archelaum præfectum Mithridatis in Capadocia, iniquitate locorum & multitudine hoſtium preſſus, fecit pacis mentionem, interpoſitoque tempore etiam induciarum, & per hæc avocata intentione, adverſarium evaſit.

Hasdrubal frater Annibalis, cùm ſaltum evadere non poſſet, faucibus ejus obſeſſis, egit cum C. Nerone, recepitque dimiſſum ſe Hiſpania exceſſurum: cavillatus deinde conditionibus dies aliquot extraxit, quibus omnibus non omiſit per anguſtos tramites, & ob id neglectos, dimittere per partes exercitum, ipſe deinde cum reliquis expeditis facilè effugit.

Spartacus foſſam, qua erat à M. Craſſo circumdatus, cæſis captivorum pecorumque corporibus noctu replevit, & H ſupergreſſus eſt. Idem cùm in Veſuvio obſeſſus, ea parte qua mons aſperrimus erat, ideòque incuſtoditus, ex vimine ſilveſtri catenas conſeruit, quibus demiſſus non ſolùm evaſit, verùm etiam ex alio latere Clodium ita terruit, ut aliquot cohortes, gladiatoribus quatuor & ſeptuaginta ceſſerint. Idem cùm à L. Varino Procoſ. præcluſus eſſet, palis per modica intervalla fixis ante portam, erecta cadavera, adornata veſte atque armis alligavit, ut procul intuentibus ſtationis ſpecies eſſet, ignibus per tota caſtra factis, imagine vana deluſo hoſte, copias ſilentio noctis eduxit.

Brasidas dux Lacedæmoniorum, circa Amphipolim ab Athenienſium multitudine numero impar deprehenſus, claudendum ſe præſtitit, ut per longum coronæ ambitum extenuaret hoſtilem frequentiam; quaque rariſſimi obſtabant, erupit.

Iphicrates in Thracia, cùm in depreſſo loco caſtra poſuiſſet, exploraſſet autem, ab hoſte proximum teneri collem, ex quo unus ad opprimendum ipſos deſcenſus erat, nocte paucis

intra caſtra relictis imperavit, ut multos ignes facerent; eductoque exercitu, & diſpoſito circa latera prædictæ viæ, paſſus eſt tranſire Barbaros, locorumque iniquitate, in qua ipſe fuerat, in illos converſa, parte exercitus terga eorum cæcidit, parte caſtra fecit.

Darius, ut falleret Scythas diſceſſu, canes atque aſinos in caſtris reliquit: quos cum latrantes rudenteſque hoſtis audiret, remanere Darium credidit.

Tandem errorem objecturi noſtris Lygures, per diverſa loca bubalos laqueis ad arbores alligaverunt: qui deducti frequentiori mugitu ſpeciem remanentium præbebant hoſtium.

Hanno ab hoſtibus clauſus, locum irruptioni maximè aptum, aggeſtis levibus materiis incendit: tum hoſte ad cæteros exitus cuſtodiendos avocato, milites per ipſam flammam eduxit, admonitos ora ſcutis, crura veſte contegere.

Hannibal, ut iniquitatem locorum, & inopum, inſtante Fabio Maximo effugeret, noctu boves, quibus ad cornua faſciculos alligaverat ſarmentorum, ſubjecto igne, dimiſit: cumque ipſo motu adoleſcente flamma turbaretur pecus, magna diſcurſatione montes, in quos actum erat, colluſtravit: Romani qui ad ſpeculandum concurrerant, primò prodigium opinati ſunt, deinde cum certa Fabio renunciaſſent, ille de inſidiarum metu ſuos caſtris continuit, Barbari obſiſtente nullo profecti ſunt. *lib.1. Stratag. cap.5.*

Idem Frontinus: Fulvius Nobilior, cùm ex Samnio in Lucanos exercitum duceret, & cognoviſſet à perfugis, hoſtes noviſſimum agmen ejus aggreſſuros, fortiſſimam legionem primò ire, ultimò ſequi juſſit impedimenta: ita factum pro occaſione amplexi hoſtes, diripere ſarcinas cœperunt. Fulvius legionis, de qua ſupra dictum eſt, quinque cohortes in dextram partem viæ direxit, quinque ad ſiniſtram, atque ita prædationi intentos hoſtes, explicato per utraque latera milite, clauſit, cæciditque.

Idem hoſtibus tergum ejus in itinere prementibus, dum flumine interveniente, non ita magno, ut tranſitum prohiberet, moraretur tamen rapiditate, alteram legionem in occulto citra flumen collocavit, ut hoſtes paucitate contempta audaciùs ſequerentur; quod ubi factum eſt, legio, quæ ad hoc diſpoſita erat, ex inſidiis hoſtem aggreſſa vaſtavit.

Iphicrates in Thraciam, cùm propter conditionem locorum, longum agmen deduceret, & nunciatum ei eſſet, hoſtes ſummum id aggreſſuros, cohortes, in utraque latera ſecedere, & conſiſtere juſſit, cæteros ſuffugere, & iter maturare. Tranſeunte autem toto agmine, lectiſſimos quoſque retinuit, & ita paſſim circa prædam occupatos hoſtes, jam etiam fatigatos, ipſe requietis & ordinatis ſuis aggreſſus fudit, exuitque præda.

Boii in ſilva Litana, qua tranſiturus erat noſter exercitus, ſucciderant arbores, ita ut ex parte exigua ſuſtentatæ ſtarent, donec impellerentur: delituerant deinde ad extremas ipſi, ubi ingreſſo ſilvam hoſte, proximas ulteriores impulerunt: eo modo propagata pariter ſupra Romanos ruina, magnam manum eliſerunt. *Ex Frontino lib.1. Strat. cap.6.*

---

* Jubileus. Jubileum.

VETUS, NOVUM, MYSTICUM

* Veteris Origo Quæ;

Item Prærogativæ.

In veteri lege Deus juſſit ſanctificari annum quinquageſimum, eumque vocari volebat remiſſionem cunctis habitatoribus terræ. Ipſe eſt enim, ait, Jubileus. *Levit. cap.25.*

Et ſtatim, Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque rediet ad familiam priſtinam, quia Jubileus eſt, & quinquageſimus annus. Hoc namque anno omnes agri, & alia bona immobilia redibant ad primum dominum per ſe, & abſque pretio, etiamſi millies eſſent vendita. Eſtque intelligendum de bonis ſitis in Judæa. Sanxitque hoc Deus, ne tribus Iſrael confunderentur, ſed per hæreditarias poſſeſſiones & ſucceſſiones cognoſceretur, ex qua quiſque eſſet tribu; idque propter Meſſiam naſciturum ex tribu Juda. *Gen.49.*

Rurſus additur, Non ſeretis ob ſanctificationem (ſanctitatem Jubilei) ut ſcilicet religioſa quiete annum illum colerent: Sed ſtatim oblata (non eſt legendum ablata) id eſt, fructus agri ſpontè naſcentes comedetis, anno videlicet Jubilei. Itaque coloni & operarii ab opere vacabant.

III. Remittebantur omnia debita hoc anno, ideòque vocatur annus remiſſionis. Exules quoque ad natale ſolum revertebantur.

IV. Servi & mancipia manu-mittebantur, fiebantque liberi.

V. Anno XLIX. indicebatur Jubileus clangore buccinæ, & velut promulgabatur, ut omnes ſe ad illum diſponerent.

VI. Deus anno præcedente Jubileum, quia illo ſeri non poterat, dabat meſſem fœcundiſſimam trium annorum, nempè pro anno XLIX. L. & alio anno quo ſerendum erat. Id enim promiſerat ſe facturum quolibet anno ſexto, eò quòd ſeptimum voluerit eſſe ſabbathum terræ, requietionis Domini. Jubileus autem ſubſequitur ſeptem annorum ſeptenarios, qui conficiunt annos XLIX. Et hæc omnia patent *ex cap.25. Levit.*

Cur Institutum.

Præter cauſas allegatas ex Scriptura, voluit Deus Jubilei inſtitutione conſulere pauperibus, nè illi bonis ac paterna hæreditate excluderentur, ſed æris alieni vinculo ſoluti, ad poſſeſſiones redirent.

II. Voluit hunc annum, uti & ſeptimum, ſervire Chronologiæ. Nam ſecundum annos Sabbaticos & Jubileos omnia divendebantur, cenſebantur, computabantur, quomodo apud Græcos, per Olympiades; apud Romanos, per Luſtra.

III. Voluit Jubileum eſſe typum pleniſſimæ libertatis & lætitiæ Chriſtianorum, quæ ſita eſt in remiſſione peccatorum, bonaque conſcientia, & ſpe felicitatis externæ, unione denique & amicitia cum Deo. Ita diſertè *Cornel. à Lapide Comment. in cap.15. Levit.*

Quando Cœperit Et Desierit.

Jubilei anni incepiſſe dicendi ſunt ab anno, quo terra à Joſue Hæbreis eſt diviſa per ſortem; tunc enim populus in poſſeſſionem illius introductus, colere agros cœpit: quod accidit anno ab exitu ex Ægypto XLVII. ut colligere eſt *Ioſue c.14.* à creatione mundi juxta veriorem Chronologiam MMD. idque ab ejuſdem anni menſe ſeptimo, die decimo. Ita *Serrarius in cap.13. Ioſue quæſt.14.*

Igitur primum Jubileum numerari cœpit ab anno mundi 2500. qui fuit annus Jubileus mundi quinquageſimus, quia quinquies 50. faciunt 2500. Et exinde cœpit Jubileus 51. & ita conſequenter numerati Jubilei Moſaici, uſque ad nativitatem Chriſti, quæ accidit in fine vigeſiminoni Jubilei Moſaici, ut advertit *Corn. à Lapide ſupra.* Verùm deſiit ea obſervatio Jubilei, ex quo Judæi exciſi fuerunt, & diſcriminatio poſſeſſionum, & tribuum inter eos ſublata, nec habent poſſeſſiones, propter quarum regreſſum erat inſtitutus Jubileus.

Cur Ita Dictum.

Dictus eſt annus iſte Jubileus, ſive Jobel, ut legunt Joſephus, S. Hieronymus, & alii plerique, ſive à Jubal primo Inventore cytharæ & organorum, ſive, ut placet nonnullis, à cornu arietino, quòd eo clangeretur illo anno, & Jobel dicebatur. Alii aliud ſentiunt. Probabilius eſt, Jubileum, ſive Jobel, deduci à radice Jabal, quod eſt adducere ſive adferre, idque cùm lætitia & exultatione; unde annus Jubileus erat annus adferens omnia bona, & reducens unumquemque in priſtinam libertatem & hæreditatem. Ita Oleaſter, Ribera, & alii. Jobel igitur ſignificat, 1. remiſſionem, 2. annum quo plenaria fiebat remiſſio, 3. buccinam, vel potiùs illius clangorem, qui eo anno feſtivè perſonabat. Unde & Latini dicunt, Jubilum & Jubilare eſt gaudium, quod verbis nequeas, voce confuſa teſtari. ☞ *Vide plura apud Angelum Pientinum lib.3. de Iubileo cap.4. Bellar. lib.1. de Indulg. cap.1. Serrarium in Ioſue, cap.13. quæſt.24.* & noviſſimè *Iuſtum Ryckium libello de Iubileo, cap.3.*

* JUBILEUM NOVUM, SIVE CHRISTIANUM.

Ad normam Jubilei veteris, apud Chriſtianos tandem etiam Jubileus annus inſtitutus fuit, videlicet in quo Indulgentiæ maximæ dabantur viſitantibus limina Apoſtolorum, plenaque pœnæ temporalis peccato debitæ remiſſio concedebatur: tunc enim tot converſiones fiunt hominum ſceleratorum, tot opera bona eam Indulgentiam præcedunt, comitantur, ſubſequuntur, ut meritò annum illum remiſſionis, ſanctum, placabilem Domino, & Jubileum, propter ſimilitudinem cum veteri Jubileo, appellaverint.

Hinc tandem Jubilei nomen derivatum fuit ad omnes Indulgentias, quæ in ampliſſima forma ſubindè ſolent ob cauſam aliquam gravem concedi, etiam extra illum annum, qui nomen meruit Jubilei; quomodo anno M.DC.XXII. Gregorius XV. conceſſit Jubileum generale pro neceſſitate Eccleſiæ, quando etiam Deus per opera pietatis, & devotionem populi, placatus fuiſſe videtur, compreſſis hæreticorum conatibus in Germania, Francia, & alibi.

Ejus Institutio Et Progressus.

Primus, qui apud Chriſtianos reſtituit, & ſolemniter promulgavit Jubileum annum, fuiſſe exiſtimatur Bonifacius Octavus Pont. Max. qui annum Chriſti M.CCC. celebrari ſolemniter præcepit, & ita centeſimo quoque anno veterum more, & exemplo Gregorii Mag. Jubileum renovari juſſit, & venientibus ad limina Apoſtolorum plenariam omnium peccatorum Indulgentiam conceſſit, ut ea ratione Populum Romanum ab inani ſæcularium ludorum celebratione, ad verum & ſolemne gaudium reduceret. Sunt tamen non pauci ſcriptores alicujus nominis, qui inſtitutionem Jubilei longè præceſſiſſe Bonifacium VIII. autumant.

Et quidem ſub Bonifacio illo, anno Redemptoris MCCC. tanta venit hominum multitudo Romam, ut vix incedere per Urbem, quantumvis ampliſſimam, licuerit; ut conſtat ex Platina, Polydoro, Trithemio & Mutio. De origine & auctore hujus peregrinationis, ſeu Jubilei, Sectarii & plerique alii certum arbitrantur, Bonifacium VIII. auctorem eſſe: nec utrùm ita ſit, vel obiter inquirendum putant. At verò Catholici, quamquam non eant inficias, Bonifacium VIII. primum eſſe, cujus de Jubileo, ſeu Indulgentia centeſimo quoque anno Romæ à fidelibus obtinenda decretum exſtet; arbitrantur tamen, ipſam Indulgentiæ conceſſionem, atque adeò hanc ad Apoſtolorum limina peregrinationem longè eſſe antiquiorem Bonifacio Octavo, ut proindè ei potiùs reparatoris, ſeu inſtauratoris, quàm Auctoris appellatio conveniat. Quod vel ex ipſis Bonifacii verbis quis diſcere poterit: Antiquorum habet fida relatio, quòd accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe, conceſſæ ſunt magnæ remiſſiones & indulgentiæ peccatorum. Nos igitur qui juxta officii noſtri debitum ſalutem appetimus, & procuramus libentiùs ſingulorum, hujuſmodi remiſſiores, & indulgentias omnes & ſingulas, ratas, & gratas habentes, ipſas auctoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus, & etiam innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.

En vides, inquit *Rutilius Benzonius*, qui de Jubileo fusè & doctè ſcripſit, *l.3. de Iubil. c.4.* ipſummet Bonifacium aſſerere, antiquam eſſe famam, & relationem à ſenioribus, & antiquioribus, qui eo tempore ad Urbem acceſſerant, ſibi eſſe factam, quòd accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe, conceſſæ erant magnæ remiſſiones, & indulgentiæ peccatorum. Dices, priora verba illa Bonifacii non indicare, hanc indulgentiam Anni ſancti centeſimi ſuperioribus ſæculis celebratam fuiſſe, ſed generaliter exprimere magnas indulgentias conceſſas ab antiquis temporibus, viſitantibus Baſilicam B. Petri; quod nemo dubitat. At contra: Verba illa extravagantis recitata, ad centeſimi anni Indulgentiam referenda eſſe, liquidò regula Canoniſtarum oſtendit, quæ habet: Ex ſequentibus præcedentia declarantur. Cùm itaque Bonifacii intentio ſit, ſermonem facere de centeſima Indulgentia, ut conſtat ex inferioribus verbis, ſequitur, quòd & ſuperiora, de eadem centeſima Indulgentia accipienda ſint. Verùm, quò lucidiùs, & evidentiùs cognoſcatur, recenſenda eſt hiſtoria certiſſima, quam Jacobus Cardinalis S. Gregorii ad velum aureum ſcripſit in ſuo libello verè aureo, de anno centeſimo, & Jubileo, qui jam impreſſus reperitur in Bibliotheca ſanctorum Patrum. Hic Cardinalis fuit promotus ad Cardinalatum à Bonifacio octavo, & fuit tempore Jubilei 1300. & interfuit, quando præfatus Pontif. edidit Extravagantem, atque ut à poſteris cognoſceretur occaſio, ob quam Bonif. Extravagantem promulgaverit, hujuſmodi libellum conſcripſit.

Narrat auctor, ut rem paucis complectar, quòd in die Vigiliarum Nativitatis Dominicæ 1199. ſub veſperis, maxima populorum, tam Romanorum, quàm externorum, copia confluxerunt ad Baſilicam B. Petri, inter quos rumor erat, magnam pro eo tempore conceſſam ibi jam olim eſſe indulgentiam: quod etiam conſequentibus diebus accidit, & in dies frequentiùs: Kalendis verò Januarii tanta hominum multitudo acceſſit, ut ſe mutuò impedientes, vix per vias incedere fas eſſet, tanquam, inquit, ea brevi finienda die exſpiraret gratia, vel majorem autumarent. Res hæc nova, ut maximè pia, relata Bonifacio, magna eum affecit admiratione, quocirca perlectis ejus juſſu vetuſtioribus libris, revolutiſque antiquioribus Bullis, nihil quod ad rem hanc pertineret, omninò repetientes, ſtatuit divina inſpiratione, ut diligentia inter ſuperſtites adhiberetur, eſſetne hujus novæ Indulgentiæ memoria apud aliquem; & inter multos ſeniorem Peregrinum offenderunt, qui annum centeſimum ſeptimum ætatis ſuæ agebat. Hic coram ſummo Pontifice, & dicto Cardinale teſtatus eſt, ſe meminiſſe, Patrem ſuum Agricolam, alio centeſimo ſuperiori Romæ, quouſque illi, quem ſecum detulit, ſufficit victus, ob Indulgentias moratum fuiſſe, ſeq; ab illo admonitum, ut venturo centeſimo Romæ ipſe adeſſe non pigritaretur: Singulis enim quibuſque diebus illius anni, magnas ibi eſſe Indulgentias. Hujus rei conteſtes alii duo reperti ſunt in Gallia, in diœceſi Belvacenſi, ac denique in Italia non pauci, tanti ævi memores, idem confirmantes; qui omnes hoc unum unanimiter aſſerebant, Romæ magnas eo anno eſſe remiſſiones peccatorum; ſed in quantitate propter tantum temporis intervallum diſcrepabant. Alii omnium culparum, alii, tertiæ; alii, quartæ partis remiſſionem eſſe aſſerentes; alii item per totum annum, alii per bimeſtre tempus gratiam remiſſionis durare. Hæc omnia ad ſummum Pontificem relata, nolens ille Spiritum ſanctum tantæ devotionis exſtinguere, cùm ad ædificationem, non ad deſtructionem ſe poſitum eſſe ſciret, de Indulgentia anni centeſimi, tota re plenè, ac diu pertractata, de conſilio Fratrum, quod ſola traditione per manus ſeniorum ad nos venerat, conſtitutione & reſcripto ſtabilire & certum reddere decrevit. Unde Extravagantem edidit, & promulgavit, cujus eſt initium: Antiquorum fida habet relatio (horum videlicet teſtium, & ſeniorum) quòd venientibus ad venerabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe, magnæ ſunt conceſſæ remiſſiones peccatorum, &c.

Hæc omnia rectè *Rutilius*, qui etiam plures probationes addit, quibus evincat, Indulgentiam anni centeſimi antiquiorem eſſe Bonifacio VIII. & hunc nihil addidiſſe, niſi conceſſionis antiquæ confirmationem, majoremque celebritatem & ſolemnitatem.

Idem apertè etiam affirmat *P. Greg. Toloſanus l.2. Syntagm. utriuſque Iuris c.6. num.3.* ubi ſcribit, Gregorium Magnum ad exemplum veteris Jubilei, centeſimo quoque anno voluiſſe concedi viſitantibus baſilicam Principis Apoſtolorum, remiſſionem & plenariam Indulgentiam, adeòque celebrari verum Jubileum.

Quinquageſimo poſt inſtante anno, Clemens VI. ſanxit jubileum celebrari quinquageſimo quoque anno (eo quòd ætas hominis vix jubileum illum centeſimo anno attingere poſſet) qui verus fuit Jubileus: id ſanxit an. Chriſti 1345. teſte *Volater. l.22.* Jubileum ergo tale primũ fuit anno Chriſti 1350. quo anno tanta hominum copia fuit Romæ, teſte Petrarcha oculato teſte, ut nihil mirum fuerit, inde ortam eſſe peſtem adeò gravem in tota Italia, ut ex mille vix decẽ ſupereſſent, teſte *Crantzio lib.9. metrop. c.43.* Rurſum ſub Nicolao quinto in Jubileo anno Chriſti 1450. tanta hominum turba fuit Romæ, ut in ea multi ſuffocati perierint, teſte *Platina, & Sabell. l.5. Enn.10.*

Denique Sixtus quartus Jubileum ad 25. quemque annum à Paulo II. deductum confirmavit, primuſque eum celebravit anno Chriſti 1475. Id fecit, ut quæque ætas ejus muneris particeps fieret.

Ritus.

Porrò in Jubileo Pontifex auream, ſive ſanctam, ut vocant, portam, quæ ſub finem prioris Jubilei muro lateritio clauſa fuit, aperit, ad quam immenſa multitudo concurrit, conſequendæ peccatorum remiſſionis cauſa. Preces, eleemoſynæ, pœnitentiæ, aliaque pietatis exercitia, quæ eo anno, tum Romæ, tum alibi fiunt, inenarrabilia ſunt. Atque in iis, cæteris præeunt Prælati & Proceres Romani. Solet autem publicari in annum futurum Jubileus, ipſo die Aſcenſionis, è Porticu Vaticana, quod etiam hoc ipſo anno M.DC.XXIV. factum fuit.

* JUBILEUM POPULARE SIVE PRIVATUM.

Ad imitationem Jubilei Eccleſiaſtici, ſolet aliud quoddam à privatis Jubileum, ita vocatur, celebrari, cùm quis aut vitæ ſanctiori deditus, annum quinquageſimum ſui ordinis votivè implevit, vel conjugalem vitam indiviſo thoro duxit, quin etiam ad annum XXV. hunc jubilandi morem tranſtulerunt plerique. Cæterùm non utrobique eædem illi ceremoniæ adhibentur. Solent tamen & Sacerdotes & Conjuges ſolemniter ad templum procedere, tanquam ſi illi primùm initiati, hi verò rurſus conjungendi forent; ubi Deo gratiis peractis, domum redire, epulum amicis inſtruere, & velut novum ſæculum auſpicari, omnibus paſſim vota ſua ita jubilanti deferentibus, & plures annos in pace apprecantibus.

Sanè in hoc genere nihil æquè ſolemne memoratur, quàm quod Matthias Hovius Archiepiſcopus Mechlinienſis, omnium Epiſcoporum exemplar & norma, nuper anno CIↃ IↃC. XVII. primùm in civitate ſua, dein in monaſterio Affligi-

A menſi, quòd menſæ illius unitum erat, magno apparatu, & comprovincialium ac aliorum inſuper Epiſcoporum aſſiſtentia, ut taceam cujuſvis ordinis Proceres; Jubileum ſuum, hoc eſt, annum à ſuſcepto ſacerdotio quinquageſimum celebravit, raro exemplo.

Ritus hujus inter Catholicos uſitati origo eſt à Jubileo Hebræorum; ut enim apud hos agri à cultura, & aratro quieſcebant; ſic expleto illo numero annorum, iſti jam ætate provectiores, quod vitæ eſt reliquum, in tranquillitate, & velut ſeparati à turbis, & laboribus hujus ſæculi nequam, nec ultra de neceſſariis ſoliciti, cum tanto tempore eos Deus ſuſtentaverit, parumque viæ emetiendum ſuperſit, ducere velle, hac celebritate profitentur, Deo largitori gratias referentes, & ſe, ſuaque illi credentes. Sunt qui hunc Ritum deducunt ad privilegia Levitarum veterum, juxta quæ, impleto anno quinquageſimo ætatis, & miniſterio Tabernaculi eximebantur, ut conſtat *Numer. cap.* 8. Atque illa etiam ætate à quibuſdam nationibus manu-miſſio à militia decreta, teſte *Macrobio lib.* 1. *In Excerptum Ciceronis de ſomnio Scipionis*. Legatur *Iuſtus Ryckius de Iubileo cap.* 25.

B

* JUBILÆUM MYSTICUM.

Expleta Veteris Jubilæi figura, novum novi teſtamenti mediator publicavit adventu ſuo, ut qui ſe miſſum ex Iſajæ vaticinio confitetur, ut mederetur contritis corde, & annuntiaret populis indulgentiam, ac prædicaret annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro: quibus verbis inſinuatur fructus, quem per Incarnationem Chriſti Eccleſia percepit, de quo, & meritò, jubilare debeat, præſertim cum & quinquageſimo à Paſchate die, Spiritum ſanctum illi miſerit Dei filius è cœlo, quò cum jubilatione, & in voce tubæ aſcenderat; & æternum Jubilæum ac Sabbathum, voce Archangeli, & in tuba Dei promulgandum, atque expleta vitæ hujus hebdomada celebrandum expectet.

* JUBILÆUM LUTHERANICUM.

Sive Reformatum Quinteuangelicum.

C Hæreticos id cum Patre ſuo Diabolo commune habere notant SS. Patres, quòd ſicut ille ſe transformat in Angelum lucis ut fallat, ita & illi Simiarum inſtar geſticulentur, fingentes ritus quoſdam, & cæremonias fidelium, ut ſub divina pelle rabiem lupinam occultent. Quod cum variis in rebus, ſanè nuper, an. ſcilicet 1617. luculenter patuit, quando in celebrioribus Germaniæ oppidis, quorum Divus Tutelaris eſt Doctor Martinus Lutherus, quem tum etiam non modò in Sanctorum cum Chriſto regnantium catalogum redegerunt, ſed Chriſto ipſi æquipararunt, eum appellantes Sanctum Sanctorum; magna alacritate fuit jubilatum, quòd jam anni centum effluxiſſent, ex quo magnum illud ſidus, virus Germanorum cometa, illuxit, & Quintum Euangelium invexit. Quo etiam nomine Norimbergirſes nummum evulgarunt, cujus una parte hoc chronicon, *Martinus Lutherus Theologiæ D.* altera, *Eccleſia Norica Iubilans*, conſpiciebatur; verùm non conſiderarunt, ex chronico elidi in nomine Doctor per ſolam D. litteram indicatos, unum C, quod centenarium importat; eoque propheticè ſignificari, non fore locum alteri Jubilæo D Martiniano, ex quo illius Doctrina, quod omni hæreſi proprium, non ſit altero ſæculo duratura, ut quæ modò ita degeneravit in varias ſectas, ut ſi Martinus rediret, hæreret dubius, quam amplecteretur.

Porrò Jubileum iſtud Quinteuangelicum omninò eſt novum, & à veteri Eccleſiæ forma deformatum. Neque enim aliquid commune habet cum Scriptura veteris Teſtamenti, quæ annum quinquageſimum voluit jubilarem, non autem centeſimum; eratque is annus remiſſionis omnibus habitatoribus terræ. Neque eſt Euangelicum, aut Apoſtolicum, multò minùs Papiſticum: quia fatentur in diplomate novitii Jubilei, Papiſtas neque matri Dei, neque Joanni Baptiſtæ, nec ulli Martyrum aut Apoſtolorum Jubileum à naſcentis Eccleſiæ exordio ſacraſſe; quod Catholici libenter fatemur.

Solent Ethnici hecatombem dedicare illi, qui centum hoſtes cecidiſſet. Fortaſſis Luthero hæc gloria debebatur, quòd cum eſſet mitiſſimus omnium ebrionum, ſupra centum millia ruſticorum ſub Thomæ Munzeri ſignis eduxiſſet, & ultrici gladio, laqueo, flammis tradidiſſet: idque eo tempore, quo ipſe cum Catharina, non virgine, non martyre, ſed Borna, ſi non Porca, inceſtuoſis nuptiis jubilabat, verè dignus, cui Norici offerant hecatombem, & in Martino ſuo jubilent.

Ergo nec Judaicum, nec Euangelicum, nec Apoſtolicum, E nec Papiſticum Jubileum iſtud dicendum eſt. Niſi cum Papiſtico in hoc conveniat, quòd ſicuti in illo aperitur ſpiritualis Eccleſiæ theſaurus, & applicatur illis, qui ſe illius meritis dignos præſtant: ſic in iſto apertæ fuerunt imprimis cataractæ omnium mendaciorum, calumniarum, ſcurrilitatum, quas unquam evomuerunt in Pontificem, Eccleſiam, & Clerum Romanum. Deinde publicatæ paſſim virtutum prærogativæ, quibus divinus ille Propheta cumulatus à Deo ſuo fuit. Quarum Epigraphem ſubieci, ut conſtet, quàm meritò Sancti Sanctorum appellationem fuerit ſortitus. Prima inter reliquas, fuit illius caſtitas: quam adeò coluit, ut ruptis votorum, quibus ſe obſtrinxerat in monaſterio, repagulis, monialem profeſſam in thalamum ſuum traduxerit, cum eaque ad mortem uſque vixerit. Accedit abſtinentia inenarrabilis, qua vitrum immenſæ capacitatis, de quo nos alibi, quod catechiſmum ſuum appellabat, unico attractu evacuabat; cujus vel aſpectum congerrones illius, inter quos magiſter Iſſebius, horrebant. Prophetiæ etiam dono inſtructus, Papatum biennio ſuperſtitem non fore mentitus eſt. Scripturæ S. pluribus in locis corruptor exſtitit, & Patrum omnium contemptor, non curans mille Cyprianos, aut mille Auguſtinos. Angelum autem lucis infernæ, ſibi familiarem habuit; nam & fatetur ſe cum F eo modium ſalis comedìſſe. Denique de ſalute anxius, ad mortem ſe præparavit, dum veſperi bene potus cubitum conceſſiſſet, mane mortuus repertus. Quæ ſanè talia ſunt, ut tam illuſtrem Canonizationem ultrò depoſcant, & in tam memorandæ ſanctitatis Patriarcha jubilare omnes diſcipulos ſuadeant.

Judæi. Judaiſmus.

* QVI, ET VNDE DICTI.

JUdæos à Juda filio primogenito Iacob Patriarchæ nomen ſortitos conſtat, quamvis enim ab eo XII. tribus deſcenderint, tamen quia à tribu Juda regnum Judæis venturum erat, & Rex naſciturus, juxta vaticinium Jacob de non auferendo ſceptro de Juda, donec veniret qui erat mittendus, *Gen.* 49. omnes ab eo Judæi ſunt appellati. A Juda, inquit S. Aug. *lib.* 15. *de Civ.* 8. filio Jacob, inditum nomen genti & regioni. Quod tradit *Iuſtinus lib.* 36. ipſum Judam nomen indidiſſe; & quod G Lactantius dicit, Judam quemdam Syriæ Ducem huic appellationi cauſam dediſſe, eſt minùs probabile, uti & illud, quod duntaxat à Juda Machabæo ita nominati fuiſſent. Siquidem ſub hoc nomine Joſephus diu ante meminit Judæorum, *in Antiquitatibus l.* 11. *&* 12. Epiphanius quidem conſentit Judæos à Juda appellatos, ſed duntaxat in diebus Dauid *l.* 1. *de ſect. Epicur.*

Conſtat etiam, à Judæis totam Paleſtinam vocatam Judæam, tanquam à nobiliore Incolarum parte, quamvis nonnunquam per Judæam intelligatur ea Palæſtinæ Regio, quam incolebant duæ tribus, quæ quondam vocabantur Judæ nomine, ut advertit *Ioan. Lorinus in cap. Act. Apoſtol.*

Certè quidquid ſit de nomine Judæorum, conſtat, nuſquam illud exſtitiſſe, antequam decem tribus à duabus ſepararentur, & in duo regna ſegregarentur, ut obſervat *S. Hieron. in c.* 1. *Ionæ*: ubi etiam Jonas communiori nomine ſe non Judæum dicit, ſed Hebræum.

* VARIÆ EORVNDEM APPELATIONES

Dicti primùm Hebræi ab Idiomate: Iſraelitæ à Jacob, qui & Iſrael, cujus illi erant poſteri; unde & paſſim filii Iſrael nuncu- H pati. Tradit tamen *Ioſeph. l.* 11. *Antiq. c.* 5. ex quo Hebræi redierunt de Babylone, non ampliùs hoc nomine, uti nec Iſraelitarum, fuiſſe appellatos, ſed Judæorum, quia primi de tribu Juda inde venerunt, quamvis etiam ante captivitatem Babylonicam, & antequam David regnaret, nomen Judæorum reperiatur. 4. *Reg.* 16. Per ironiam dicuntur Apellæ, & Recutiti, propter præputii in circuncìſione abſciſſionem.

* EORUM PERFIDIA.

Maxima Judæorum perfidia notatur, quòd cum Chriſti Adventum, Paſſionem, Reſurrectionem, aliaque myſteria Scripturæ ſanctæ inſerta negare non poſſent, tamen ad Jeſum pertinere negarent, inquit Beda; magiſque Antichriſtum, quàm Jeſum Chriſtum à prophetis in lege promiſſum expectarent; unde toties Apoſtoli in primis ſuis ad eos concionibus, non modò inculcabant Chriſti myſteria, ſed inſuper in eo omnia conſummata prædicabant, quæ de illo in lege, & prophetis erant ſcripta; unde meritò S. Joannes, In propria venit, & ſui eum non rece-

A receperunt. Viderant miracula facientem, quæ nemo fecerat, veritatem dicenti non crediderunt, Innocentem falſis criminationibus circumvenerunt, ludibrio habuerunt, ſpinis coronatum, & flagellis cæſum, cruci affixerunt, infamique morte nomen illius eradere è terra laborarunt, nihil commoti ſignis, & prodigiis, quæ in morte ipſius evenerunt. Reſurgentem, pecunia data, & ementitis teſtimoniis ludificare apud ſuos conati, omneſque qui nomen ejus deferrent, etiamnum cane pejus, & angue exectantur. Ut ex dicendis conſtabit.

* BENEFICIA ET PRÆROGATIVÆ JUDÆIS PRÆSTITÆ IN LEGE Antiqua.

Paucis ea ex Scriptura concinnavit *M. Marulus lib.* 6. *de charitate cap.* 5. ubi dicit, à bono Deo nulli nationi præſtita fuiſſe plura beneficia, quàm Judæorum genti. Quippè ſolis illis veritas fuit revelata, ſolis leges de cœlo datæ, monſtratus cæremoniarum ritus, oracula futurorum indulta, Dei voces palam locutæ, ingentium miraculorum operatio conceſſa.

B Deo favente timuit eos Ægyptus, & cum dimittere nollet, flagella ſuſtinuit, mare ſe aperiens ſiccum euntibus præbuit iter, & aquæ, quæ illis hinc inde pro muro erant, Ægyptios cum armis hoſtiliter inſequentes operuere.

In ſolitudine manna cœleſtis cibus pabulum illis præbuit, & de ſaxo virga percuſſo ſcaturiens amnis potum.

Jordanis ad fontem ſuum reverſus perſtitit, donec tranſirent terram denique promiſſionis, lacte, & melle manantem, perdomitis ejus incolis poſſederunt.

Quis denique explicet tot de hoſte victorias, tot à ſervitute liberationes, vel quoties à periculis eruti, à cladibus protecti? Moyſe orante (ut ante diximus) victus eſt Amelech; buccinis clangentibus, Hierichuntis mœnia corruerunt; Joſue inimicos perſequente, lapidibus pluit de cœlo ſuper fugientium cervices, ac ne noctis interventu elaberentur, ſol & luna motum ſuum continuerunt.

Nulla unquam fuit longior dies, quàm iſta, in qua quinque C regum Chananæorum proſtratus eſt exercitus. Balaam præterea prophetes, aſinæ loquentis voce, prohibitus eſt eis maledicere, & pro maledicto induxit ſuper illos benedictionem, benedictos à Deo eſſe non dubitans, pro quibus mutum animal vocem protulerit humanam: victi ſunt deinde Palæſtini tonitru & fragore de cœlo territi.

Holophernes Chaldæorum Dux, cum urbes aliorum provinciaſque expugnaſſet, in Judæa unius fœminæ manu victus occubuit. Regnante Jeroſolymis Aſa, innumerabiles Æthiopum copias ad internecionem conciderunt.

Regnante Joſaphat, cum ingentem Ammonitarum, Idumæorumque exercitum formidarent, inimicos inter ſe digladiantes conſpexerunt, multaque cæſorum tulerunt ſpolia, tam ſecuri, quàm paulò antè pavefacti.

Regnante Ezechia, cum ab Aſſyriis duce Sennacherib obſiderentur, Angeli manu, una nocte, centum octoginta quinque millibus hoſtium cæſis, obſidione ſoluti ſunt.

Omitto nunc Machabæos, Judam, Simonem, Jonatham qui Dei ſui nomine invocato, parva manu ingentes hoſtium D copias pluries fudere.

Magna quidem & immenſa beneficia hæc, majora tamen accepturi erant, ſi iſtorum, quæ acceperant, largitorem non deſeruiſſent.

Nunc ergo quod ſupereſt breviter expediemus, qua ingratitudine uſi ſint, quantaque Deo ulciſcente pati meruere.

JUDÆORUM INGRATITUDO ET SCELERA IN LEGE VETERI.

Longum admodùm foret memorare ſcelera ſingulorum, qui inter Judæos impii infidique fuere. Omnium ergo ſimul in Deum ſuum infidelitas detegatur, pœnaque infidelitatis, ut cum hæc nota fuerint, ſimul conſtet ingratitudinis magnitudo, & juſti Domini in ingratos præſens vindicta; quam ſi quis evitaverit, nec futuræ quidem, quæ omnium acerbiſſima eſt, obnoxius erit.

Dum Moyſes in monte immoratur, donec tabulas digito Dei conſcriptas acciperet, illi ad idololatriam converſi, vitulum æneum adoraverunt, &, Hi ſunt (inquiunt), Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

Ob hoc iratus Dominus, delere eos voluit, ſed Moyſi pro ipſis inſtanter ſupplicanti gratiam fecit.

Moyſes tamen indignos tabularum beneficio teſtatus, de E monte deſcendens, ipſas confregit, vitulumque contrivit: deinde Deo jubente, Levitæ ſumptis armis die illo XXIII. millia ferè, ex iis qui vitulum adoraverant, occiderunt, ut eum morte dignum eſſe noveris, qui in Deum ingratus eſt.

Poſt hæc, contempto cœleſti cibo cum Ægyptias dapes concupiſſent, adverſus Deum & Moyſen muſſitantes, provocatus in iram Dominus, multa coturnicum vi caſtra operuit, ut cupidini eorum ſatisfaceret.

Cæterùm dum adhuc carnes dentibus manderent, animas efflabant, plurimique deſiderati ſunt; locus, in hujuſce ultionis memoriam, ſepulchra Concupiſcentiæ appellatus.

Rurſum tamen pollicitationi divinæ non adhibentes fidem, de obtinenda promiſſionis regione deſperarunt.

Ideòque illam ingredi prorſus indigni, antequam fines ejus attigiſſent, in deſerto mortui ſunt, præter Jeſum & Caleph & parvulos populi, qui non peccaverant.

Quadraginta annos per ſolitudinem, antequam terram incolendam adiſſent, erraverunt.

Chore quoque, Dathan & Abiron caſtra unà cum ipſis ter- F ræ hiatu abſorpta ſunt, atque inde ſubitus ignis exhalans, ducentos & quinquaginta viros, qui incenſum offerebant, abſumpſit; & hoc quidem, quia legi divinæ adverſantes, uſurpare ſibi ſacerdotium nitebantur.

Vide tamen inconſultam vulgi audaciam: Nihil his quæ acciderant territi.

Moyſen & Aaronem nimis procaciter inceſſebant, perindè ac ſi ipſi eos qui perierant, interfeciſſent.

Mox igitur ambobus his ad tabernaculum confugientibus, incendium repentè illatum vaſtare cœpit protervos. Quatuordecim millia ex eis ſeptingentos concremavit. Omnes tunc periſſent, ni Aaron, juſſu Moyſi, ſtans inter mortuos & viventes, Deum oraſſet. Ad ejus preces ceſſavit ignis. Deus enim injuriam illam illatam ſibi deputat, quæ ſervis ſuis indignè infertur: Quandoquidem ultus eſt eos, qui Moyſen & Aaronem minaciter impetere auſi fuerant.

Poſt hæc profecti de monte Hor, per viam quæ ducit ad mare rubrum, pertæſi itineris laborem, rurſum reclamant: ſed G neque hoc fuit illis impunè. Ignitorum ſerpentum ictibus percuſſi moriebantur.

Hinc tandem humiliatis ac veniam poſcentibus, Moyſes Domino jubente ſerpentem ex ære formatum ſuſpendit in ligno, quem vulnerati aſpiciendo convaleſcebant. Id autem portendebat, quòd olim in Chriſtum crucifixum credentes, à diaboli morſibus liberandi eſſent. Ignitus enim ſerpens, diabolus eſt: Chriſtus, æneus, nihil in ſe veneni habens, & veneno peccati infectos clementer ſanans.

Porrò, ut quod propoſuimus, proſequamur, iidem Iſraelitæ, cùm appuliſſent ad Sethim, capti ſunt amoribus Moabitidarum, ita ut Deos quoque illarum adorarent, ſed dignas quidem ſcelere iſto pœnas dedere.

Levitæ quippè juſſu Domini viginti quatuor millia de illis interimunt: tunc demum Deo placato, à cædibus ceſſatum eſt, cum Zambrin, virum & Zochim ſcortum, dum ſimul coiſſent, Phinees Eleazari ſacerdotis filius pugione in genitalibus confodit.

Ut prætereà pateret, non minori animadverſione dignos eſſe criminis impulſores, quàm auctores, Madianitas quoque H percuti juſſit Dominus, qui eos callidi per mulierum blandimenta traxerunt ad cultum idoli ſui Beelphegor.

Multò tamen graviùs deliquerunt, qui ad Deos alienos converſi fuerant Deo ſuo derelicto, nec mirabilium ejus memores, nec erga beneficia grati.

Tranſeamus ad tempora Judicum.

Josue defuncto, degeneravit populus. Colere cœpit Baal & Aſtarot, non numina, ſed monſtra.

Ob hoc paſſi ſunt direptiones, rerumque detrimenta, nec omninò pares eſſe poterant viribus adverſariorum.

Deindè, quoniam Palæſtinis & Chananæis aliiſque idololatris, cultu, & connubiis jungere ſe auſi fuerant, Deo pœnam hujuſce flagitii exigente, annos octo ſervierunt Guſanrazathaim Meſopotamiæ Regi.

Cum autem illos prævaricationis pœnituiſſet, liberati ſunt.

Sub liberatoribus quidem ſatis probè ſe habebant, illis verò vita defunctis, veluti laxato freno, quocumque rationis expers appetitio vocaſſet, eò ferebantur.

Itaque

A Itaque ſub Othoniele etiam fidem Deo ſervarunt, eo autem mortuo, ſtatim ad idola deſcivere: quamobrem tunc quoque ſervire compulſi ſunt Eglon Moabitarum Regi annos octodecim.

Deinde poſt obitum Aioth Ducis, cum iterùm idola colere cœpiſſent, oppreſſi ſunt ſervitute à Jabin Chananæorum Rege per annos viginti.

Poſt Deboram quoque uxorem Lapidoth (& ipſa enim præfuit populo) peccaverunt, atque ſeptem annis à Madianitis vexati ſunt, ſata frugeſque eorum vaſtantibus.

Ita poſt Gedeonem, & erga familiam ejus, à quo de inimicis liberati fuerant, ingrati extitere, & erga Deum impii, ideoque per idem tempus externorum bello variè inquietati ſunt.

Poſt Abimelech, Tholam, & Jair præſides, itidem peccaverunt, & à Palæſtinis mala paſſi ſunt annis octodecim.

Poſt Jepthe, Abeſſam, & Ahilon, & Abdon, rurſum peccaverunt, & denuò à Palæſtinis oppreſſi ſunt ſervitutis jugo per annos quadraginta.

Poſt Sampſonem verò inter ſe diffidere cœperunt, quando B tribus Benjamin, ob ſtupratam cujuſdam Levitæ conjugem, & per vim in una nocte multorum coitu laſſatam, atque extinctam, pœnè interiit, dum à reliquis tribubus indignè id ferentibus impugnatur. Primò tamen de his qui illos oppugnatum venerant, cecidere viginti duo millia, iterum altero congreſſu octodecim millia: & ipſi enim offenderant, ſuis viribus magis, quàm Dei auxilio freti: ſed tertio tandem certamine de Benjamin periere vigintiquinque millia, oppidum eorum Gabaa incenſum, in quo obſeſſi erant, idemque factum reliquis urbibus, ac vicis tribus hujus. Iſta de Judicum libro ſummatim perſtringendo protulimus, quæ ſequuntur, Regum continet hiſtoria.

* Pœnæ a Deo Inflictæ.

Ob Idololatriam quæ maxima in Deum ingratitudo eſt, diviſum fuit Judææ regnum.

Decem tribus in Samariam ſeceſſere ſub Rege Jeroboam, duæ reliquæ ſub Roboam Jeroſolymis manſerunt. In Samaria quidem perſeveravit impietatis crimen: Jeroſolymæ magis fideles inventi ſunt.

Vitulos æneos adorabant Samaritæ, quos pro diis colen- C dos poſuerat Jeroboam primus ex Judæis Samariæ Rex.

Eam ob rem Abiæ Jeroſolymitanorum Regi in prælio ſuccubuerunt, die uno quinquaginta millia eorum deſiderata ſunt Civitates tres amiſſæ, Bethel, Hieſana, & Ephron. Deinde regnum de familia Jeroboam ad alios translatum.

Poſtea regnante Achab adverſum Syros profecti, ob hanc ipſam idololatriæ culpam ſuperantur, Achab quoque ſagittæ ictu interficitur. Regnante Joacham, ſervierunt Azebelo regi Syriæ.

Regnante Phacee, Theglatphalaſar Aſſyriorum Rex Samariam invadens, magnam quidem populi partem captivam ſecum duxit Niniven.

Regnante Oſea, unà cum Rege omnes tranſlati ſunt in Aſſyriam per Salmanaſar Aſſyriæ Regem: cum enim prophanos gentium ritus imitarentur, & Prophetarum arguerentur ſermonibus, ad Deum Iſrael reverti nolebant, colentes Baal, filios filiaſque idolis initiantes, inſervientes etiam divinatio- D nibus atque auguriis.

Nunc ad Jeroſolymitarum immunditias gradus faciendus reſtat. Sub Roboam Rege legem Domini reliquerant, cum Seſac rex Ægypti civitates eorum munitiſſimas debellavit, dixitque eis per Prophetam Dominus: Vos dereliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſac. Hic captam Jeroſolymam ſubdidit ſervituti, Templi theſauros regiamque gazam omnem ſuſtulit, & aſportavit.

Sub Joram rege, quia Gentilium ritus ſecuti fuerant, Palæſtinorum, atque Arabum magna in parte præda facti ſunt. Tunc enim & regis domus direpta, & ejus uxores liberique capti. Ipſe autem Joram, quia ab impietate non receſſerat, alvi profluvio conſumptus eſt.

Ob idem crimen Joa regnante, ingentes militum copias parva Syrorum manu proſtratas amiſere. Ipſe Joas à ſervis domi fuit interemptus.

Rurſum ſub Amaſia Rege Deos alienos adorabant, cum à Joa Samaritarum rege ſuperati ſunt, pars Jeroſolymitani muri diruta, theſauri ablati, ipſe Amaſias captus, nobilium liberi pro obſidibus abducti.

Tunc etiam regnante Achaz colebant Baal, cum & à rege Syriæ ſpoliati ſunt, & à rege Samariæ Phacee ingenti bello E victi: Ea enim pugna centum viginti millia virorum cæſa fuiſſe dicuntur, ducenta millia in captivitatem abducta, cum præda omnis generis propè inæſtimabili, quamvis Phacee ab Angelo coargutus reſtituerit captivos; quia tamen ab impietate non recedebant, Idumæi illorum fines depopulati ſunt, urbes aliquot expugnarunt Palæſtini, agrum vaſtaverunt Aſſyrii: neque tamen tot cladibus affecti, ad Dominum redire voluerunt, donec in regno ſucceſſit Ezechias Achazi filius, per omnia patri diſſimilis. Piè enim ac ſanctè vixit, ut intelligas Principum mores civibus documento eſſe ſolere: ſemper quidem Judæi ſub religioſis regibus religioſi fuere, ſub impiis impii.

Poſt Ezechiam regnat Manaſſes ejus filius, magis impietate, quàm regno nobilis: captus à Chaldæis addicitur ſervituti: adverſis pulſatus agnovit errorem, pœnitentiam egit, & Domino miſerante reſtitutus eſt Regno. Quòd ſi Manaſſem pœnitentiam agentem ſuſcepit Deus, quis tam impius eſt, ut veniam deſperet, ſi ad illum, à quo alienatus eſt, recurrerit?

Joachazo quoque impio ſuper impios regnante, Nechao rex Ægypti eoſdem tributa ſibi pendere compulit: ea erant F centum argenti talenta, in ſingulos annos, unum auri. Tunc Joachazo ſublato, Eliachimum ejus fratrem præfecit regno. Sed cum neque iſto ad regni gubernacula ſedente, populus ab erroribus reſipuiſſet, Nabuchodonoſori Babyloniorum regi ſervierunt, atque etiam latronum infeſtationes paſſi ſunt: & ne tunc quidem ab idololatriæ cultura deſiſtentes, Joachimo Joachimi filio regnante obſeſſi à Chaldæis, unà cum Rege poteſtati illorum ſeſe dedidere. Tunc omnes ferè in Chaldæam traducti ſunt, præter pauperes vulgi agricolationi relictos. Hinc Mathathias urbi penè deſertæ juſſus eſt præſidere. Cumque etiam qui tunc reſidui erant, nullo Dei flagello ab inveterato jam errore revocari potuiſſent, totam in illos indignationem effudit Deus, eoſque graviùs quàm unquam anteà afflixit. Cum enim Mathathias iſte, qui & Sedechias eſt dictus, à Chaldæis defeciſſet, obſedit eos Nabuchodonoſor Chaldæorum Rex; urbe potitus eſt, Sedechiam cum liberis fugientem comprehendit, liberos illo ſpectante trucidari juſſit, ei verò, ne quid deindè jucundi videret, oculos eruit, & vinctum ſecum Babylonem abduxit. Poſt hæc Nabuzardam Ducem cum valida militum manu miſit, qui mœnia urbis demolitus ſolo æquavit, domos templumque incendit, cives in ſer- G vitutem ad Chaldæam tranſtulit, & cum illis vaſa templi aurea, argentea, ænea, æneaſque columnas templi; primarios urbis cives, Deique ſacerdotes interfecit, & impletum eſt quod in Pſalmo prædictum fuerat: Tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici, & concluſit in gladio populum, & hæreditatem ſuam ſprevit: denique facta eſt, quam Prophetæ prædixerant, tranſmigratio Judææ in Chaldæam, ac tanta prophanæ gentis ingratitudo tales quidem pœnas dedit, quæ ſi ſolæ proponerentur, & nulla futura eſſet in inferno, quis adeò temerarius eſt, ut audeat eſſe in Deum ingratus?

Strages omnes *quas Judæorum populus perpeſſus eſt, Deo ob eorum perfidiam, & ingratitudinem eas permittente. Ex libris S. Scripturæ, & Hiſtoriis Eccleſiaſticis aliiſque.*

3060 Ceciderunt in Iſrael propter vitulum aureum. *Exod. cap.* 32. H
603550 Viri Iſraelitæ, exceptis mulieribus & pueris, mortui ſunt in deſerto, præter Joſue & Caleb, propter infidelitatem, & peccata ipſorum. *Num.* 14. & 26.
22300 Sacerdotes, & Levitæ mortui in deſerto ſunt. *Ibid.*
250 Seniores populi perierunt in ſeditione Korah. *Numer.* 16.
4700 Occiſi ſunt in deſerto in murmuratione populi contra Moyſen, & fratrem ejus Aaronem. *Num.* 14.
24000 Occiſi ſunt propter fornicationem principum, & populi in Sitthim. *Num.* 25.
36 Occiſi ſunt in Ai propter furtum Achan. *Num.* 7.

Summa 667836.

70 Fratres ſuos occidit Abimelech, Judex in Iſrael. *Judicum* 9.
42000 Ephraimitæ interfecti ſunt propter inſultationem, & contemptum contra Galaaditas. *Judic.* 12.
25000 Benjamitæ occiſi ſunt ab Iſraelitis. *Judic.* 20.
40030 Occiſi ſunt à confratribus ſuis Beniamitis. *Judic.* 20.

1000 Si-

A 1000 Sichemitæ interficiuntur tyrannicè ab Abimelech duce. *Judic.* 12.
34000 Iſraelitæ occiſi ſunt à Philiſthæis. 1. *Reg.* 4.
50070 Bethſamitæ ex tribu Juda perierunt, eo quòd arcam Domini temerè introſpexiſſent. 1. *Reg.* 6.
85 Sacerdotes occiſi ſunt à Saule. 1. *Reg.* 22.
380 Occiſi ſunt in pugna inter Abner & Joab. 2. *Reg.* 2.
20000 Perierunt in ſeditione Abſalonis, plures verò in ſylva Ephraim in fuga occubuerunt. 1. *Reg.* 19.
300 Occiſi ſunt ab Heroe Davidis, Abiſai. 3. *Reg.* 23.

Summa 212935.

70000 Peſte mortui ſunt tempore Davidis. 1. *Reg.* 24.
450 Prophetæ Baalim occiſi ſunt ab Elia. 3. *Reg.* 18.
400 Prophetæ Lucorum occiſi ſunt ab Elia. 3. *Reg.* 18.
102 Milites ex Iſrael perierunt igni cœleſti. 4. *Reg.* 1.
70 Filii Achab trucidati ſunt à Jehu. 4. *Reg.* 10.
800 Occiſi ſunt ab uno Heroe Davidis, Jaſabeam. 2. *Regum* 23.
42 Fratres Agaſiæ occiſi ſunt à Jehu. 4. *Reg.* 10.
3000 Ex Juda ceciderunt ab Iſraelitis, eò quòd exercitum conductum ex Iſrael Amarias dimiſerat. 2. *Par.* 25. B
500000 Iſraelitæ perierunt in bello Jeroboam contra Abiam. 2. *Paral.* 13.
120000 Ex tribu Juda perierunt per Pekah regem Iſrael ſub Achas rege Juda propter Idololatriam. 2. *Paral.* 28.
80 Iſraelitæ occiſi ab Hiſmaele. 4. *Reg.* 25.

Summa 694864.

10832 Iſraelitæ cum Jechonia captivi abducuntur in Babel per Nabuchodonoſor. *Joſeph. in Antiq.*
1000 Judæi occiſi ſunt die Sabbathi, qui ſe defendere nolebant. 1. *Machab.* 2.
2000 Iſraelitæ ab exercitu Gorgiæ occiſi, quia pugnabant contra Dei mandatum. 1. *Machab.* 5. *Nauclerus in generatione* 60.
50 Nefarii Judæi à Juda Machabæo occiſi ſunt. 1. *Machab.* 9.
1000 Judæi occiſi ſunt à Tryphone. 1. *Machab.* 14.
80000 Occiſi ſunt ex Judæis à tyranno Antiocho. 2. *Mach.* 5.
40000 Occiſi ſunt ab eodem Antiocho. *Ibid.*
80000 Venditi ſunt ab eodem Antiocho. *Ibid.*
C 50 Judæi occiſi ſunt in inſidiis. *Nauclerus in generatione* 60.
10000 Judæi interfecti ſunt cum Jonatha duce eorum à Thryphone. *Nauclerus in generat.* 60.
200 Perfidi Judæi occiſi ſunt Joppæ. 2. *Machab.* 12.

Summa 216132.

30000 Judæi occiſi ſunt à Ptolemæo Ægypti rege ſub Alexandro Jammæo duce, & Sacerdote Judæorum. *Nauclerus in gener.* 61.
6000 Judæi ab Alexandro Jammæo occiſi, qui ipſi inſultabant. *Naucl. in gener.* 61.
50000 Ex ſenioribus Judæorum interfecti ab eodem, cum quibus ſexennium pugnavit. *Ibid.*
800 Judæi ſuſpenſi ſunt Jeroſolymis. *Ibid.*
22000 Judæi occiſi ſunt à militibus Pompeji, cum Jeroſolymam cepiſſet. *Nauclerus in gener.* 62.
14000 Judæi occiſi ſunt Jeroſolymis à Pompejo in bello Mithridatico. *Naucl. in gener.* 61.
3000 Judæi occiſi ſunt ab Archelao poſt mortem Herodis, propter motam ſeditionem. Anno Chriſti tertio. *Vide hiſt. Eccleſ.*
D 2000 Judæi ſuſpenſi ſunt à Varo propter motam ſeditionem. *Vide hiſt. Eccleſ.*

Summa 127800.

50000 Judæi occiſi ſunt in Seleucia in ſeditione mota contra Græcos. Anno Chriſti 46. *Vide hiſt. Eccleſ.*
30000 Judæi occiſi ſunt Jeroſolymis propter ſeditionem motam in die Paſchatis. An. Chriſti 49. *Vide hiſt. Eccl.*
13000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt ab Aſcalonitis ſub Floro Romanorum Præſide. *Vide hiſt. Eccleſ.*
2000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt Ptolemaide ſub Floro Romanorum præſide. *Vide hiſt. Eccleſ.*
50000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt Alexandriæ cum uxoribus, & liberis, ſub Floro Romanorum præſide. *Vide hiſt. Eccleſ.*
8400 Seditioſi Judæi occiſi ſunt Joppæ à Romanis, ſub Floro præſide. *Vide hiſt. Eccleſ.*

Summa 155900.

20000 Judæi occiſi ſunt Cæſareæ, in ſeditione mota contra præſidem Florum. Anno Chriſti 67. *Vide hiſt. Eccl.*
10000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt à Damaſcenis, ſub eodem Floro. *Vide hiſt. Eccleſ.* E
10000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt in Aſcalon à Veſpaſiano. *Vide in hiſt. Eccleſ.*
6000 Seditioſi Judæi rurſus occiſi in Aſcalon. *Ibid.*
12000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt in Apheka, à Trajano. *Vide hiſt. Eccleſ.*
3000 Seditioſi Judæi occiſi. *Ibid.*
11600 Seditioſi Judæi occiſi in Samaria duce Romanorum in monte Garizim, ſub Veſpaſiano. *Vid. hiſt. Eccl.*
40000 Seditioſi Judæi interfecti ſunt Jorapatæ, ſub Veſpaſiano. *Vide hiſt. Eccleſ.*

Summa 114600.

9000 Seditioſi Judæi Gamalæ occiſi ſunt, ſub Veſpaſiano.
2000 Seditioſi Judæi cum duce eorum Joham occiſi ſunt, eodem Veſpaſiano.
12000 Judæi ſeditioſi occiſi ſunt Jeroſolymis ab Idumæis, ſub eodem Veſpaſiano.
13000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt à duce Placido, ſub eodem Veſpaſiano. F
10000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt in Idumæa, à Veſpaſiano.
1100000 Seditioſi Judæi occiſi ſunt in Jeroſolymis, in ultima devaſtatione ſub Veſpeſiano, duce Tito filio ejus. *Vide hiſt. Eccleſ.*
3000 Judæi captivi, Cæſareæ in ſpectaculis à Tito interfecti ſunt. *Vide hiſt. Eccleſ.*
3000 Judæi interfecti ſunt Cyrenæ à præſide Catullo. *Vide hiſt. Eccleſ.*

Summa 1152000.

4000000 Judæi ſeditioſi occiſi ſunt paſſim in Judæa, in multis ſtragibus, ducibus Julio Severo, Quieto, & Rufo Anno Chriſti 134. *Vide hiſt. Eccleſ.*
1200000 Judæi ſeditioſi occiſi ſunt Alexandriæ, duce Martio Turbone, eodem tempore.

Summa 5200000.

Summæ omnium occiſorum ex populo Iſraelitico, ſecundum Scripturam, 8542067.

* INGRATITUDO ET SCELERA ADVERSUS Christianam Religionem, & Gentem. G

in Nova Lege.

Hanc paulò ante deſcripſimus longè maximam fuiſſe, quòd poſtquam à Cyro manumiſſi, poſtliminioque reverſi eſſent ſub Eſdra ſacerdote, vrbemque ac templum, Deo illis faventе, reſtauraſſent, & jam priorem ſuum ſtatum temperare cœpiſſent, Meſſiam ſuum tot ſæculis expectatum non receperint, ſed ex lege illum, qui in lege fuerat promiſſus, cruci affigendum decreverint, variis opprobriis affecerint, ejuſque nomen delere, & ſpiritualem Abrahæ poſteritatem in nihilum redigere laborarint, & etiam hodie laborent, in Chriſtianos, dummodò vires permitterent, crudeles, & impii.

Evolvamus paululùm Hiſtoriam temporum, & quæ mala à Judæis illata Chriſticolis, compendio recenſeamus. Neque enim ſatis illis fuit, ut iiſdem exprobravit Stephanus, *Act. c.* 7. quòd olim Prophetas, qui Chriſti adventum prænuntiabant, quorum greges enumerat ſacra Scriptura, trucidaſſent, ac ut Ezechiel Jeruſalem appellat urbem ſanguinum, *cap.* 24. neque quòd ipſum Meſſiam tot ſæculis prædicatum occidiſſent, pactumque Dei reliquiſſent, inſuper plus quàm vatinianum, & H internecinum odium erga Chriſti diſcipulos, & Apoſtolos primùm, deinde adverſus ipſorum ſucceſſores, ac univerſum Chriſti ovile retinuerunt. Quippè ſub ipſa initia Euangelicæ prædicationis, omnes ubique in deſerto gentium, *ut Hieron.* loquitur *comm. in cap.* 39. *Job.* crudeliter perſequebantur propter Euangelium.

Quin teſtatur ille ipſe, quòd ſæpè per diem in omnibus Synagogis, ſub nomine Nazaræorum, ſoliti fuerint anathematizare nomen Chriſtianum, & maledicta in illud congerere. Atque *in lib. Thalmud*, iis præcipitur, ut illud faciant, hac contentus ratione, Nazaræos vocabo Chriſtianos.

Summa quoque contentione provocabant Chriſtianos ad diſputandum, meminitque *Adrianus Papa epiſt. ad Carol. Magn.* diſputationis, quam in urbe extorſerant à Conſtantino Imp. *epiſt.* 3.

Perſecutiones eorum, quibus Eccleſiam affecerunt, notæ ſunt, ita ut *Tertul. lib. contra Judæos*, dicat, Nobis qui ſucceſſimus in locum Prophetarum, ea ſuſtinentibus hodie in ſæculo, quæ ſemper ſunt paſſi prophetæ propter divinam Religionem: alios enim lapidaverunt, alios fugaverunt, plures ad necem rapuerunt: teſtis eſt ſanctus ille Stephanus, quo prædicante,